8

87
C
28

NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
35 A
M 46

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

57
C
28

0
VII
93

K

304

Digitized by Google

ACTA
S. SAVINÆ
TRISSINÆ
ET NABORIS ET FOELICIS
MARTYRVM

Auctore

GASPARE TRISSINO
Somaſchenſis Congregationis
Theologo, & Concionatore.

Ad Perilluſtrem, & Reuerendiſs. P.

D. ATTILIVM BRVNACEVM
Sac. Ciſtercienſ. Ord. Abbatem
Meritiſſimum.

Superiorum Permiſſu, & Priuilegio.

Biblioth. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, MDCXXVII.

Apud Iacobum Sarcinam.

PERILLVSTRI
& Reuerendiſs. Præſuli
P. D. ATTILIO
BRVNACEO
Sacri Ciſtercienſis Ord. Abbati Meritiſſimo F.

PRodeunt denuo Sanctæ Sauinæ ex illuſtriſsima TRISSINORVM familia, Naborisq; & Fœlicis Martyrum Acta; Quæ attica penè facundia R. P. Gaſpar Triſsinus deſcripſit. Auctoris nomen

audiuiſſe, cognouiſſe eſt, ſatis enim tanti viri fama in hac Vrbe noſtra perſtrepuit, cum annis præteritis celebri in ſuggeſto Eccleſiæ S. Moyſis, toto Quadrageſimali tempore, diſertiſſimè eſt concionatus. Ea verò tibi Perilluſtris & Reuerendiſs. Præſul, in hac altera editione nuncupanda duxi, non eo tãtum ductus conſilio, quod opus pietate, eloquentia, & eruditione inſigne, viri alicuius, qui ijs omnibus præluceat virtutibus depoſcat patroci-

Digitized by Google

Digitized by Google

De pio obitu

S. SAVINÆ TRISSINÆ

Auctoris

EXASTICON.

PRona genu SAVINA, preces dum TRISSINA fundit
Ad ſacrum tumulum ſpirat & emoritur.
Eliquat æthereos divinus ſcilicet artus
Ignis, & ingreſſum pandit, vt illa cupit.
Æternum fruitura Deo, volat enthea Cœlo,
Arſerat hoc animus, dum pius orat, habet.

D. MAVRITIVS DE DOMIS
Præpoſitus Generalis
Clericorum Regularium Congreg. Somaſchæ, & Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia.

CVm duo noſtræ Congregationis Theologi, quibus *Acta S. Sauinæ Triſsinæ, & Sanctorum Naboris, & Fœlicis Martyrum* à Reu. P. D. Gaſpare Triſſino noſtræ Congregationis Sacerdote Theologo ſcripta, recognoſcenda dedimus, digna eſſe prælo iudicauerint, Nos eidem Patri licentiam concedimus, vt ſeruatis ſeruandis illa curet imprimenda.
In quorum fidem &c.

Datum Genuæ in Colleg. noſtro S. Mariæ Magdalenæ die 12. Ianuarij 1626.

D. Mauritius de Domis Præp. Gen.

Digitized by Google

trociniüm, quàm quod me tibi iampridem multis obſtri ctum officijs, & beneficijs, memorem impenſæ gratiæ agnoſceres. Non hic in tui laudes pluribus excurram, eæ licet, & nūcupatoriæ meæ epiſtolæ, & ſacræ huic opellæ maximo futuræ eſſent ornamento, panegyrico illæ ſi quidem indigent, & Tulliano tantum eloquio exprimi poſſe, quiſque ad cuius aures tui nominis fama peruenit, optimè nouit. Sanè Ciſtercienſis Ordinis annales,

les,

les, morum probitatem, prudentiam, munificentiam, aliasq́; quibus enituiſti virtutes, cum ad clauum ſacræ illius Reip. PRAESIDIS nomine ſederes prædicabũt, eas ſat erit mihi vel attigiſſe, vel adumbraſſe. Tu interim ſacrum quod offero donarium, ad pietatem, & religionem conſcriptum, læto animo ſuſcipias; non enim vereor, cum illud percurres, maximo tibi oblectamento futurum: Multa enim quæ penè deperdita erant celebra-

lebratiſsimi Naboris, & Fœlicis monumenta martyrij, ex cana antiquitate auctor collegit, & in lucem protulit eruditorum. Interim me in tui clientelam iam ſuſceptũ, amore proſequi ne ceſſes, & ſacris tuis manibus oſculum figo. Vale Venetijs, ex typographica officina mea ad Sanctam Marinam.

Seruus addictiſsimus

Iacobus Sarcina.



S. SAVINA TRISSINA.

Digitized by Google

ACTA S. SAVINÆ TRISSINAE ET NABO. ET FOELICIS Mart.

SAVINAE GENVS ET PATRIA.

CAP. PRIMVM.

SAvinae ſanctiſſimę matronæ, ſacras actiones, piaque geſta, cum poſteris conſecrare meditarer, eaque mihi ex primis ineuntis Chriſtianæ Eccleſiæ ferè temporibus, eruenda cognoſcerem, maximè indolui, non temporum viciſſitudines, quibus huma-

na omnia, cunctaque mortalia eſſe obnoxia exploratiſſimum eſt; ſed efferatam, ac planè impiam, teterrimi illius Reipublicæ Chriſtianę hoſtis Diocletiani Rom. Imperatoris barbariem, ac perfurentem deploratiſſimis ſacrilegijs perpetrandis veſaniam, cui haud ſatis fuit, tot chriſtianorum ſanguine, Romanum per Orbem, cunctos proluiſſe carnifices, vbique lanienas ad Chriſti milites contrucidandos excitaſſe, pœnales Rotas, Equuleos, æneos Tauros, Orbicularia, Cyphoniſmos, tribulos, trochleas, ſcaphiſmos, feralia denique quæcunque truculentiora crudelitatis inſtrumenta, Phalaridis, Perilli, immaniſque Ochi, perfido ingenio excogitata expedijſſe, quinetiam apud nonnullos legamus, machinas ipſas murales Catapultas ad quatiēda ęnea prorſus martyrum corpora adhibitas; ſed

ſed vt omnem extingueret cum Chriſti Eccleſia, Chriſtianorum memoriam, malo actus genio, inſaniq́ue furoris œſtro percitus, nefario ſcelere edixit, libros omnes ſacros, ſumma vndiq́ue diligentia, ſeueriſſimis indictis pœnis, ijs qui abſconderent, aut non traderent, conquiſitos, ſacrilego incendio concremari. Hinc ſacra ſanctorum martyrum geſta, ab ipſo Apoſtolorum tempore, & Petri ſucceſſore Clemente, cęterorumq́ue Rom. Pontificum iuſſu, à Notarijs Apoſtolicis, tabulis, & dypthicis diligentiſſimè deſcripta, & poſterorum memoriæ conſignata, quæ maxima veneratione aſſeruabantur, publicèq́ue in fidelium conuentibus, ſacris in Odęis, ipſis in Liturgijs, ad Chriſti milites inflammandos legebantur, perditè, quàmplura ſacrilegus incendiarius aboleuit. Atque tan-

torum martyrum ſanguine cruentus, tumidus tyrannus, palam egit de hoc etiam ſcelere triumphum, cuius ad hæc vſque tempora, Cluniæ in Hiſpanijs, veſtigia marmoreis in columnis videmus, quæ inciſis characteribus efferunt inſcriptionem. Deplorarunt tantum facinus è priſcis Patribus Catholicæ Eccleſiæ, Euſebius, Arnobius, Optatus, Auguſtinus, è neotericis magnus ille Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ illuſtrator, idemque Cardinalis omni commendatione digniſſimus Cæſar Baronius, qui alter veluti noſtri ſæculi Hieremias, non in Annalibus Eccleſiaſticis tantùm, ſed in Annotationibus ad Rom. Martyrologiū his in tanti ſceleris immanitatem exclamat. *In tanto Chriſtianarum ſcripturarum naufragio, factam eſſe lachrymabilem illam Actorum martyrum iacturam, nulla eſt penès nos dubitatio, tuncque ſub-*

lata

lata illa nobiliſſima rerum geſtarum monumenta, tanto labore collecta, tot cognitoribus comprobata, ac tanto denique ſtudio conquiſita. Quamobrem cum eo tempore B. Sauina cuius acta ſcribere aggredimur floruerit, quo crudeliſſima illa vigebant edicta improbis illis ac planè funereis, diram tyrannidem exercentibus, Diocletiano, & Maximiano, nullus erit admirationi locus, ſi multa de ſanctiſſima, & pijſſima fęmina deperdita, pleraque obſcura, noſtra hæc ætas deploret, inter cætera vero non tàm natalem diē, quàm annum genethliacum, & nomina parentum, ipſaque crepundia, quorū penitus memoria excidit ignoremus. Fortunatè tamen cecidit, quod Familię genus, ac Patria exploratiſſima nobis ſint, è TRISSINORVM etenim Stēmate ſplendorem natalium Sauinam traxiſſe, tùm vetuſtiſſima & conſtantiſ-

ſima Eccleſiæ Laudenſis traditio, ad hæc vſque tempora conſeruata, teſtantur; tùm Hiſtoricorum, & veterum, & recentium, qui de Sauina ſcribunt auctoritas, compertiſſimam fidem facit; quoties nempe eorum in Commentarijs tantæ nurus mentio incidit, gentilitium illi genus è Triſſinorum gente fuiſſe confirmant. Horum Helenchum poſtremo huius Opellæ capite, tamquam coronidē apponam, eosque non ſolum Generis, ſed cœterarum etiam rerum, quas ſtylo conſignare poſteris decreui, locupletiſſimos, & fidiſſimos teſtes, exhibebo.

At vero licet Chriſtiana Eccleſia, cum ſanctorum vitas quibus maximè illuſtrata eſt, fidelibus legendas proponit, nobilitatis prærogatiuam, magni ſemper facere conſueuerit, vt vel ex vnius Rom. Breuiarij lectionibus ſatis liquet, in

in quibus nõ tàm legimus ex ſplẽdore natalium commendari, qui regia, & illuſtri progenie duxerũt originem, ſed qui honèſtis parentibus, & loco etiam honeſto, procreati ſunt; quin Magnus ille Eccleſiæ Doctor S. Hieronymus, cũ Paulæ Matronæ pariter ſanctiſſimæ, ſepulchro elogium inſcriberet, multis poſt habitis, quæ de ſanctiſſima, pijſsimaque muliere exarare poterat, à priſca auorum celebrat nobilitate.

Gracchorum ſoboles Agamemnonis inclyta proles,

Hoc iacet in tumulo.

Et Euſebius, cum de Gregorio Nazianzeno, & Baſilio ſcribit, eos è nobili ſtemmate ortos pluribus oſtendit; ipſeque Euangeliſta Lucas à Ioannis Baptiſtæ nobilitate Chriſti humani Generis Reparatoris, genealogiã exorditur. Mihi tamen conſultiſſima ſenten-

tia antiquæ nobilitatis, quam Sauina è Triſſinea ducit Familia prętermittenda eſt luculenta exornatio, & eo præſertim, quod gentilitij noſtri ſtemmatis Hiſtoria à doctiſſimo viro Paulo Benio Italico conſcripta ſit ſermone, qua typis addicta, pluribus in Bibliothecis, & præcipuè Ambroſiana Mediolanenſi, eruditi perfruuntur, vt cœteros omittam qui huiuſmodi narrationem, latino ſtylo proſecuti ſunt, inter quos Franciſcus Rugerius, omnium Oratorum quos noſtra ætas effert, eruditiſſimus, & eloquentiſſimus, alijque quamplures, à Benio recenſiti, quos quilibet antiquitatis ſtudioſus, poterit perlegere. Illud tantum monebo, longè ante Orbis ſeruatoris Chriſti Ieſu aduentum, Triſſinorum Familiam, tùm Vicetiæ, tùm Laudæ-Pompeiæ, nobilitatis prærogatiua exornatam floruiſſe, ſemel

vero

vero Italia amandatam, eo prorſus infortunio quo STVDIORVM Familiam, ingruentibus Barbarorum excurſionibus laboraſſe ſcribit Card. Baronius, in Gręciam vnde originem duxerat, ſe recepiſſe, cum demum poſt annum ſeptimum ſupra quinquageſimum, Beliſario ſtrenuo illo Duce, contra Gotthos expeditioné adornante, quod de nobiliſſimis alijs familijs, Rangonia, Brandolinea, & Maurutia pręſertim, apud Franciſcum Sãſouinum legimus, Italico eſt iterum reſtituta ſolo. Atque tàm diuturni huius, vt hoc verbum vſurpem, oſtraciſmi, quẽ Triſſina gens pertulit, auctor fuit * Odoacer Herulorum Rex, vir vt proceritate corporis conſpicuus, ita animo fœdiſſimus, Arianę Hæreſis labe infamis, (Odoagrium apud nonnullos rerum Germanicarum ſcriptores appellatum in- * Odoacres.

uenio,) Hic ingenti comparato exercitu, tum ex Rugis quibus pręerat, (horum enim Rex, vt Eugyppius, & alij ſcribunt Flautheus erat) tum ex ſuis Herulis Cyrrhis, & Turcilingis, vbi primò Sanctum Seuerinum, Noricorum Apoſtolum, de rerum euentu conſuluiſſet, auſpicatoque vaticinio fuiſſet confirmatus, Italiam, vt pę nas repeteret ab Oreſte Romanæ militiæ Magiſtro ſub quo & ipſe Italico ſolo genitus, ſi Procopio Cæſarienſi credimus, ſtipēdia meruerat, ingreditur, reuectaque propè Sancti Columbani colles, Agri Laudenſis, eo in loco, qui ad hæc vſque tempora *Campus ruinatus* dicitur, inſigni victoria, Barbarorum intulit in omnes Italiæ oras extincto Occidētali Imperio, colluuiem, & arma. Euenere hæc ſi rectè, vt arbitror, Iacobus Gordonius inclytæ SOCIETATIS

TIS IESV eruditiſſimus ſcriptor, & Chronologici operis auctor, tempora ex Marcellino Illiriciano, Caſſiodoro, & Panuinio ſubduxit, ſub initia Kalēd. Septēbris anni, Quadringenteſimi Septuageſimi ſexti, licet nonnulli ex recentioribus, ſexennium anteuertant, & Ioannes Auētinus, & Cardinalis Baronius, in ſeptuageſimū ſeptimum, vel ſeptuageſimumoctauum ſupra quadringenteſimū prępoſterè reijciant. Cæterùm tam Odoacris, quàm Rugorum, quos aduexerat, perditos mores, & exercitam in Romanos, & Romani Imperij ſtudioſas Familias ſæuā crudelitatem, ipſi etiam Germani ſcriptores, quem comprouincialē habuiſſe dictitant palàm accuſant. Nobiles enim quoſcunque, et honeſtos viros, ſuis prædijs ſpoliauit, eorumque tertiam partem Herulis, & Rugis, cœteriſque aquilo-

naribus barbaris addixit.

Hunc ab Ennodio Ticinenſi. *Quietis neſcium, ſcelerum patratorem, & diſcordiarum criminis clandeſtinum ſupplantatorem* appellatum fuiſſe credidit Cardinalis Baronius. Sed pace tanti Auctoris his Ennodius dicterijs Iulium potius Nepotē Romanum patritium, qui poſt Glycerium ad Regnum acceſſerat, quàm Odoacrem perſtringit. Illud tamen certum, furentibus barbaris illis, in Nobilium Italiæ Familias, eas præſertim quæ Romano Imperio amicitia, & gratia obſtrictæ erant, acerbius ſæuitũ, quod idem Ennodius teſtis oculatus his verbis enarrat. *Omnes nobilium Familiæ, à ſuis ſequeſtrabantur*. In hæc de Odoacre digreſſi ſumus, quæ fortaſſe quiſpiam minus probabit, ſed Regis illius, vel improbi veriꝰ tyranni, par erat mores deſcribere, cum à Caſſiodoro qui arctois il

lis

lis Regibus nimis dum ſcriberet fauit, moderatiſſimi animi, multiſq; uirtutibus excultus deſcribatur.

Hæc de Sauinæ nobilitate Familiæ, ſat erit attigiſſe, cui ipſa magis attulit, quàm acceperit ornamentum.

Non minorem habet Sauina à patria claritatem, quam Laudam-Pompeiam, inter Inſubriæ Vrbes clariſſimam fuiſſe, vel ex vnius AMBROSIANAE ECCLESIAE tabulis certò didicimus. Hanc à Bois, qui Tarquinio Priſco ad clauum Romani Regni ſedente in Italiam venerunt, ædificatam fuiſſe inuenio; primum Spartanę fermè inſtar Reipublicę, Principem ex ſuis ſibi ciuib⁹ eligebat, qui rerum ſummam, precario licet iure moderaretur; tum vero à M. Marcello, vnà cum reliquis Inſubriæ ciuitatibus, Romano eſt adiecta imperio; mox à Pompeio

Stra-

Strabone, Pompei cognomento Magni patre, Ius Latij obtinuit, mox à C.Iulio Cæſare Dictatore Romanæ Vrbis Priuilegijs donata, nobilibus ſubinde à Tyberio Cæſare, Druſoque Filio eſt aucta, & ornata ædificijs, bello, & pace clara, illuſtres viros tulit, æquo Marte cum Mediolanenſibus diù conflixit, ſuſtinuitque diſſidia, ab his tandem aduerſante fortuna, acerbiſſimam cladem paſſa, exuſta, ac penè deleta eſt, cum demũ à Friderico Aenobarbo, nobiliore, ac tutiore ſolo propè Abduam celebre flumen, à quo quatuor fermè milliaria antea diſtabat, exigua in rupe quæ promontorij ſpeciem refert reparata, rediuiua veluti Phœnix, è ſuis cineribus, clarior emicuit. Hinc præclariſſimę Vrbis huius exordia, non ignobilis Poeta, hoc exornauit monoſticho.

Lau-

Laudenſem, rupem ſtatuit Fridericus, in vrbem.

Illud inter prima Laudæ-Pompeiæ ornamenta ponendum eſt, à Barnaba Inſubrum Apoſtolo, prima hauſiſſe Chriſtianæ Fidei rudimenta, à ſanctiſſimis mox viris Syro, & Inuentio, tùm inſignibus miraculis, tùm euangelicis declamationibus cultiorem redditam, quàmplures vitæ innocentia, & pietate conſpicuos, cuiuſuis ſanctitatis Ordinis viros genuiſſe, quorum alij purpura martyrij inſignes, alij epiſcopali infula, alij clauſtralis Diſciplinæ ſeuera obſeruantia, Orbe toto celebrãtur. Inter quos Sauina admirandorum operum magnitudine, & celebritate nominis, clarior affulſit, maximè enim ſanctiſſimæ mulieri laudi cedit, quod non ipſa ſolum ſanctitatis præconio claruerit, ſed ſuis exhortationibus multos pe-

pererit Chriſto, & Eccleſiæ marty res, vt ſi à prophanis ſcriptoribus mutuatum hic attexere elogium liberet Berecynthiam martyrum iure dicere Sauinam poſſemus.

Vt vero Sauinæ infantiam hic percurramus, & illas quaſi diuinãdo deſcribamus virtutes, quæ teneram ætatem honeſtarunt, nulla nobis ſubrepere poteſt ambigendi occaſio, virginèum pudorem, ſanctiſſimis moribus exornaſſe, probè enim educantibus parentibus, & præceptoribus, oris modeſtiam, cum grauitate coniunxit; eloquentia vero, & ſacrarum litterarum intelligentia non conformatione modo naturæ & ingenij vbertate, ſed ſtudio & labore excellùiſſe, eoque ſæculo ad miraculum claruiſſe perſpicuum argumentum facit, quod plures eius diuina penè facundia excitati, martyrium conſtantiſſime ſubierint, mul-

multiq́ue in ſide nutantes, ac penè deiecti ab ipſa fuerint confirmati. Porrò his,quæ cœlitus conceperat pietatis ſemina inſtructa, par eſt credere, grandiorem effectam, ſecreto ſuo in gynecæo Oratorium ſibi comparaſſe, vbi altariola erigeret, & inſtrueret, ſtatisq́ue horis, ſilentij, & ſolitudinis amãtiſſima, orationi vacaret, ſacram etiam ſynaxim in illa ætate frequentaſſe, nemini dubium eſſe poteſt; Illum ſiquidem Ritũ, quo pueri cęleſtis lauachri participes facti, corpore, & ſanguine dominico, in primæua Eccleſia, multis in locis recreabantur; quẽ Græcorum, & Abaſſinorum Eccleſiæ adhuc retinent, in Inſubrię Eccleſijs diù viguiſſe,Magni Ambroſij comprobat auctoritas, tum ijs in libris, in quibus de myſterio Paſchæ, & de Initiandis agit; tum eo in verſu, qui *Tranſitorium* dici-
tur

tur, & ad hæc vſque tempora in Ambroſianorum Templis, ipſo Quinquagenalium Feriarum tempore concinitur; vbi hæc ſcripta leguntur.

Hymnum canite Agni mundi; Lauacro fontis renati: Satiati corpore Chriſti.

Vt multa hic omittam, quæ hac de re Beroldus, Archiepiſcopalis Mediolanenſis Eccleſię Oſtiarius, qui quingentis, & eò amplius poſt S. Ambroſium annis vixit, in ſuo Cęremoniali, nobis ſcripto tradita reliquit.

Hæc prodiere S. Sauinæ, in ipſa pueritia ſenis, argumenta virtutum, quæ cum progreſſum nõ expectaret annorum, facile anteuertit ætatem, & ad ſanctitatis faſtigium, breui peruenit.

Qui-

Quibus in prouectiore ætate, Pietatis operibus, ſe exercuerit.

CAP. II.

CVM annus à reparato Orbe ducẽteſſimus ſexageſimus incurreret, truculẽtus Valeriani, & Galieni in Chriſtianam Eccleſiam, quam ſibi haud pridem beneficijs deuinxerant, furor, ac rabies bacchari cępit, inter cœteta enim feritatis commenta crudeliſſima illa prodiere edicta, quibus chriſtianæ Fidei ſectatores, religionem, & pietarem deſerere cõpellerentur; indictum proinde illis, ne conuentus agerent, nevè martyrum ſubſtructa in cryptis cęmeteria, mortuis non modo ſeruandis, quam contegendis viuentibus

tibus accommodata adirēt, quinimmo Oratoria, ad quæ ad orandum, verbum Dei audiendum, & ſacroſanctæ menſæ, cœleſtes illas dapes percipiendas, puſillus chriſtianorum grex confluebat, omnia ſunt euerſa, ſacræ exuſtæ imagines, diſturbatæ aræ, ac penitus acciſæ. Cum hæc veſanientis apri, in vinea Domini, dira adeò ſæuiret perſecutio, Mediolani præſertim, vbi Galienus ſedem diù tenuit, & Cecropij Dalmatarū Ducis gladio, vt ei ab Heracliano imperatum fuerat, confoſſus occubuit; qui tùm Laudæ degebant Chriſtiani, & quæ extruxerant diruta Oratoria cernerent, maximaque vbique omnium eſſet perturbatio, Sauinam vnicam habuere religionis columnam firmiſſimā, & Aſylum pietatis, non enim illa verita atrocia Imperatorum edicta, animum deſpondit, quin ſuas

ædes

ædes conſtituit, in quibus à ſacris moderatoribus Chriſtianorũ ritu piæ peragerentur preces, & ſancta Oxomolenxeos, & Synaxeos, ſacramenta adminiſtrarentur; ſed quando triginta annorum, & eò amplius, qui à Galieni, ad Maximiani Imperium interceſſerunt, monumenta prophanis exuſta flãmis deploramus, ea hic recenſebimus, quæ tabulis conſignata haud delere furor potuit gentilium. Anno igitur ab Orbe redempto ducenteſimo octogeſimo ſexto ineũte, ferus ac impius Diocletianus, victo & profligato Carino, Maximianum Herculium collegam allegit Imperij. Erat hic, vt ex ipſis prophanis ſcriptoribus mores deſcribentibus trucis hominis, ſatis conſtat, *natura ferox, ad libidinem ſupra quàm credi poſſit pronus, conſilio ſtolidus, natalibus obſcuris, ac planè agreſtibus ex Pannonia; cuius inciuilis ingenij aſperitas,*

tas, vel ex deformi vultus horrore ſe prodebat. Ad tanti muneris faſtigium euocatus, poſt attritos, & domitos Gallos, Coctias emenſus alpes in Inſubriam venit, & Mediolani regiam ſibi conſtituit ſedem, quam Vrbem non *ferreæ* tantum *Coronæ* donario, ſed multis præterea benefactis, ac ornamentis, quà ampliore ſitu pomęrijsque dilatata, quà nobiliſsimis ædificijs, quę ſua muſa digna, Auſonius cenſuit, illuſtrata cumulauit; vt nonnulli viri eruditiſſimi ſcribere non ſint veriti, ea in Vrbe obortum, & innutritum Maximianum fuiſſe. Auctor vero ille, qui decem primorum Antiſtitum Mediolanenſium vitas, ſtylo eſt proſecutus, cuius vetuſtiſſimus codex in Bibliotheca Ambroſiana aſſeruatur, (ſiue ille fuerit Seuerus Sulpitius, vt Michael Piccolpaſſus qui exemplar exſcripſit, aſſeuerat ſiue alius quiſ-

quiſpiam) Maximianum vbi primum eſt auſpicatus Imperium, beneuolum erga Chriſtianos animũ declaraſſe refert, adeòque placidum, ac mitem, vt quàmplures Imperatoriæ familiæ domeſtici eſſent, qui ampliſſima munera obirent, & Chriſtianam Religionem palàm profiterentur. Sed huic cęteri rerum Mediolanenſiũ chronographi refragrantur, qui ſcribunt, Maximianum Mediolanenſem Vrbem vix ingreſſum, præcones hæc illico acclamare iuſſiſſe, Dii reportentur patrij, noua Chriſtianorum faceſſat ſuperſtitio. Addunt alij, latino idiomate, eo ipſo quo inauguratus eſt loco, & die, in Chriſtianorum Religionem, acerbè, & contumelioſè, palàm peroraſſe, & ijs prorſus, quibus Diocletianus furijs dementatũ, ſacros libros, & geſta inſuper martyrum, in tota Inſubria conquiſita, igni-

bus

bus conſumpſiſſe, Ioſephus Ripamontius Eccleſiaſticæ Mediolanenſis Hiſtoriæ ſcriptor diſertiſſimus. Verum quoquo tempore tandem ſæuire Maximiani perſecutio in Chriſtianos incæperit; certum eſt, nullam acerbiorem cladem Mediolanenſem Eccleſiã fuiſſe perpeſſam, ſiue diuturnitatẽ tẽporis, quo graſſata eſt, ſiue tortorum diritatem, ſiue demum numerum martyrum, qui quinque mille fuiſſe ſcribuntur, perpendas. Ergo Imperator perditi Manaſſis perfidiæ propior, aras Baal, Chriſtianorum euerſis, crexit; Phanum ſcilicet Herculi, prophano gentilium Idolo. Atque in ſubſtructione illa ſacrilegi ædificij, vt in opere Thermarum, quæ iuſſu Diocletiani, tum temporis Romæ ædificabantur, quàmplures Chriſtianorũ myriadas exudaſſe, nemini dubiũ eſſe poteſt. Huius Herculei Delu-

lubri pronaum, fuiſſe periſtillium illud quod in Regione Ticinenſi ante Aedes D.Laurentio martyri ſacras adhuc viſitur, quotquot Mediolanenſis Vrbis antiquitates ſcripto tradiderunt, confirmant, quod ego ex epyſtilijs falſum eſſe deprehendi, ea enim corinthiaci eſſe Ordinis (licet Andreas Alciat⁹, quo libro de rebus patriæ diſſerit, Dorici exiſtimet) nemo non videt, qui vel ſola Architecturæ hauſerit rudimenta, vnius vero Iouis Templis, eius Ordinis ſymmetriam, gentilium, vel reuerentia, vel ſuperſtitio, vt Vitruuius & Palladius referunt, permittebat. Sed quo tandem Vrbis loco, aut regione Templum illud fuerit, ex Galuaneo Flamma, pro certo didicimus, quàmplures Chriſti ſectatores, ad thus adolendum, & litandum, Maximiani iuſſu eò fuiſſe pertractos, & quos à nefario

ſcelere reluctantes agnouerat, diriſſimis cruciatibus vexatos, necis tandem ſupplicio afficiebat; quamquam vero in omnes Chriſti fideles nullo diſcrimine ſæuiret, in eos tamen crudelior exercebatur laniena, qui militari erant authorati ſacramēto, eo vt arbitror conſilio, quòd cum diriorem in chriſtianos, quàm cœteri Imperatores excitare perſecutionem meditaretur, valdè cautum volebat, ne illi armati eſſent, qui impio furori obſiſtentes, non pro Aris ſolum, & focis, non pro vita, ſed pro Dei honore parati decertare, tumultus in exercitu cierent, defectionem molirentur, ſuoque capite ſceleſtiſſimi facinoris pœnas daret. His dum ſanguinarius tyrannus immoraretur; ecce à delatoribus, ſtrenuiſſimi duo milites, Chriſtianę religionis rei accuſantur. Erant iſti extrema Aphricæ

re-

regione, Gaditanum verſus fretum, & occidentalem Oceanum oriundi; alteri Nabor, alteri Fœlix nomen erat. Vbi Imperator geminos illos milites, quos probè nouerat; idolorum oſores, & chriſtianos eſſe accepit, in rabiē actus, iubet ante ſe adduci quos vbi cōſpexit, corrugato ad terrorē vultu, grauique ſupercilio indignat⁹, minis eos primum aggreditur, hiſque ira efferueſcens imperterritos iuuenes, verbis interpellat. Itanè ſceleſtiſſima capita, ſancta Romanorum Cæſarum edicta paruipenditis? vosnè ſoli noſtram eluditis Maieſtatem? & cum cœteri maximè vereantur promulgatas contra Chriſtianos leges violare, peruicos vos, & refractarios agnoſco: nihil auctoritas veſtri Imperatoris mouit: nihil ſuppliciorum timor percellit, nihil infamia, qua flagratis, ignominiæ dedecus, quo

anilibus Galilæi ſuperſtitionib⁹, & magicis præſtigijs dediti, ingenuitatem veſtram dehoneſtatis? Vosnè (proh ſceleſtos) relictis Dijs immortalibus, mendiciſſimũ illum fabri filium, cruci ſuffixum, adorabitis? quænam vos ad tàm ſceleſtum facinus adegit vecordes inſania? qui ſtolidus impulit furor? qui malus genius ad tàm audax, nefarium, & pudendum perpulit ſcelus? Dum ſanctiſſimis ego edictis, ſeditioſam Sectam, ipſa, quam Vepri ſectantur deteriorẽ, molior euertere, dum diris impios iſtos cõſceleratos homines, & Nemeſi trado, dum acerbiſſimis tormentis perimo, erunt in meo exercitu milites adeò audaces, qui omnia floccifaciant, & patiar, & feram? nulli mihi erunt ſatis ad vos excruciãdos tortores, ad perimendos carnifices, nulli laniatus iram compeſcent meam, vindex

dex quoque de vobis ſupplicium ſumam, trucidabo ſceleſtos, flagris cedam, fuſtibus quatiā, plūbatis contundam, vngulis excarnificabo, laminis ardentibus, lampadibus exuram, pectinibus dilacerabo, dentibus ego meis, vos nequiſſimos diſcerpam, vulturibus, & feris, ſacrilega buſta obijciam. His vbi minis, & barbaro, ac immani terrore euertere militum infractum pectus, & arietare conſtantiam admolitus eſt, pellacibus inuadit blanditijs, depoſitoque leonis exuuio, vulpinum aſſumit, & verbis affatur doloſis. Agite, inquit, generoſi milites, eiurate Galilæi ſectam, recogitate, dedecere humilem, & ſeruilem chriſtianorum conditionem, veſtram ingenuitatem. Recolite Genus veſtrum, recolite militares honores, quibus vos condecoratos præ cœteris extollam, modo exe-

cremini nuperam iſtam plebeiorũ hominum, vilium cerdonum hæreſim, reſcindo edicta, veniæ locum cõcedo iuuenili errori, quicquid in noſtras leges patratum à vobis eſt, impunè condono, magnis prœmijs auctos, & honoribus ampliſſimis, apud me retinebo.

His Nabor, qui Fœlici ætate erat maior, & erectior videbatur. Chriſtianam (inquit) religionem, quam diris, Imperator, deuouiſti, & omni ſtudio niteris obterere, nos conſtantiſſimè amplectimur, & veremur; Chriſtum Ieſum, quẽ Galilæi, & fabri nomine blaſphemo ore traducis, & contumelijs proſcindis, vt Deum, & humani Generis Saluatorem agnoſcimus, & colimus; Edicta illa tua, quæ diuinæ legi aduerſantur, vt irrita credimus, & non ſeruanda duximus; humilem, quam exprobras

chri-

chriſtianorum conditionem, cuicunque nobilitati præferimus, & honores, quos polliceris, tantæ impietatis proemia, libentiſſimè recuſamus; tormenta vero, quæ comminaris, cupidiſſimo animo pro Chriſti amore ſubire parati ſumus. Vtinam tu ſaxea illa facinoroſorum hominum agalmata, quæ colis, hodie euerteres, & vnũ tantum Orbi vniuerſo Deum, qui Chriſtus eſt, præeſſe agnoſceres.

Maximianus hac Naboris reſpõſione, propè obtorpuit, & occæcata iracũdia percitus, parum abfuit, quin ipſe diſtricto gladio, carnificis munus obiret, & vtrumque ſuis manibus contrucidaret. Sed repreſſo nonnihil ſurore, quædam ſecum ferox immurmurans cingulo militari exutos, iubet ambos in carcere trudi, & ſitu, & pedore, ac inedia confici. Carceris locum, quo Nabor & Fœlix macerati

ſunt, Boninus Mõbritius, rerum Eccleſiaſticarum, teſte Card. Baronio probatæ fidei auctor, iuxta Circum fuiſſe ſcribit, qui propè Palatium erat, in eadem cuius ſupra meminimus Regione Ticinenſi, à Traiano Imperatore, inſano, vt quidam ſcripſere, ſumptu ædificatum. Quatuordecim vbi dies vel pane etiam, & frigida priuatos detinuiſſet, quod mortuos iã crederet, ſuperſtites admiratus, imperat educi. Vt vero vel ex ipſo faſtoſo apparatu deterrerẽtur, in ipſo Hippodromo Circi ſublimi in ſella multo lictorum agmine, qui faſces præferebant expeditos ſtipatus, tribunal apparari iuſſit; atque ſe coram adductos, blanditijs adoritur; vt Herculis Idolo, ſacrificiorum libamenta offerrent, hortatur. Aderant cum ligneis ſimulachris & acerra flamines, parati ſi annuiſſent Chriſti

mi-

militeſ Deos venerari, thura, illicò, & odores incendere. Cæterum cum firmos, & conſtantes, nec vllo modo ſanctiſſimum eorum conſilium vel infringi, vel emolliri poſſe animaduertiſſet, Anolino ſuæ perfidiæ Conſiliario, in craſtinum virgis, & plumbatis, alijsque cruciatibus vexãdos tradit, qui ipſo Imperatore nequior, blandis adoritur verbis; ſed cum necquidquam ſe proficere videret, ludereque operam, & laborem, tempori cedens, & efferueſcenti in vltionem indignationi frœnum inijciens, reduci in vincula iubet, militarique cuſtodia, quòd magicis præſtigijs, eos omnia illudere arbitraretur, quæ diligenter excubaret, obſepſit. Quatuor inde poſt dies, rurſus ergaſtulo eductos, nouis aggreditur conatibus impetere; vbi verò vincti ſæuiſſimi Imperatoris, & per-

diti Anolini Conſiliarij in cõſpectum pertracti veniſſent, ſanctiſſimos denuo iuuenes, ita alloquitur. Ergo ne etiam clementiam & lenitatem illuditis meam? tantam patientiam, qua peruicaciam iſtam veſtram diù perfero, etiam ridebitis? Hic aut vobis eſt demũ Dijs immortalibus immolandum, aut infamis, per diriſſima tormenta mors ſubeunda. Nihil opus reſpondent, Imperator, mora, expedi lictores, & carnifices, en corpora, dilania, dilacera, obtrunca, trucida, quodcunque tormentum nobis erit iucundiſſimum ſolatium; pro Chriſto, dummodo hoc perfruamur, nihil cœtera perpendimus. Exarſit his dictis tyrannus ira, imperat ambos extenſos fuſtibus contundi, pręcone interim blaſphemo ore clamante. *Sacrificate Dijs quos Imperator & omnes orant*; tum delaſſatis diuerberan-

rantibus, qui quinque exceſſere terniones, vt Mombritius ſcribit, Naborem, quem deprehenderat reſponſis audaciorem, iubet in equleo ſuſpendi, Fœlice ſpectāte, quod immaniſſimis collegæ cruciatibus, perterritum, ſperaret animi robur remiſſurum, ardentes mox nudo corpori lampades admouent, Tyranno vrgente, membra exurunt, fidiculis artus dilaniant. Quo ſpectaculo Fœlix tantum abeſt, vt perterritus conſtantiam remiſerit, quin potius erectior, alacriorque euaſerit, nihilq; magis percuperet, quam vt ſibi diriſſima illa tormenta indicerentur. Quamobrem ſpe eluſi tyranni, iraque efferatior Maximianus effectus ingentem extrui mandat lignorum pyram, & incendi, amboſque voracibus flammis viuos amburſi. Illi incenſum in rogum immiſſi, fornacis babylonicæ mi-

raculum renouarunt, diuinamque toties in Chriſtianis rogo iniectis, potentiam, nouo comprobarunt exemplo, oblitus eſt ſiquidem ſuæ virtutis ignis, nec flamma auſa eſt inclytos Dei ſeruos, vel minimum violare; quin illæſi ipſis in flammis Imperatori, & Conſiliario inſultant. Fides inquiunt noſtra, quæ in Chriſto eſt, non cruciatibus vincitur, non gladio ſuperatur, non flammis exuritur, nihil nobis hac ignominia glo rioſius, nihil hac vexatione iucundius. Reſipiſcite vos tandem, & Deos illos veſtros, quorum crimina notiora ſunt, quàm nomina, ignibus concremandos, iam tradite. Imperator eo miraculo inſanior effectus, quòd Aegyptiaca obſtinatiſſimè incantamenta crederet, maioreque martyrum dictis iracundia excandeſcens, cathenis iterum, manibus, pedibuſ-

que

que reuinctos, tenebricoſiorem in carcerem detrudi iubet, multisq; lictoribus, qui excubias agerent adſeruandos tradit. Triduo elapſo, cum Mediolano Laudam-Pōpeiam contenderet, ferreis illis cathenis conſtrictos, vt ludibrio eſſent exercitui vniuerſo, cœteriſque chriſtianis terrori, poſt ſe raptari iuſſit.

Sauinæ facundia, maximaque animi pietas, cum Naborem, et Fœlicem inuiſens, ad martyrium fortiter ſubeundum adhortatur.

CAP. III.

CIuitatē ingreſſus Laudenſem Maximianus Imperator, ferali illo portento, quòd immanium belluarum more, vinctos

pios

pios Chriſti milites pertraheret, rumore totam replet vrbem, cietque, ſuis enim prope cõmota ſedibus, ciuem commouit vniuerſum, frequentiſſimus omnium Ordinũ numerus, in occurſum confluxit Imperatoris, vel ex eo, quod iàm fama peruaſerat, quibus Mediolani, gemini illi martyres eſſent affecti ſupplicijs, qua animi firmitate, tot, tantasque pœnas ſubijſſent, igneque demum mulctati dãnum nullum incurrerint, maximaque erat iniecta cupiditas, & fidelibus, & gentilibus, ſtrenuos illos, & inuictos iuuenes ſpectandi. Videre igitur erat circumfuſam vndiq; omnis conditionis turbam, & quidem Gentiles, quorum corda duriora, ſibilis, & ſannis irridere, fœdas quaſq; obuias quiſquilias in ora martyrum proijcere. Fideles vero colere tacitos excelſæ, & penè admirandæ vir-

tutis

tutis milites, laudibus extollere, optimumq́; martyrij euentum apprecari. At vero martyres erecto, hilariq́ue animo incedebant, probra ducebant honori, & gloriæ, ingentiq́ue gaudio Apoſtolorum exemplo geſtiebant. Quòd digni eſſent, pro nomine Ieſu cõtumeliam pati. Sauina, vt certa aſſequor coniectura, viro tunc orbata, quæ ſanctiſſimam illam Iuditham in veteri Lege celebratiſſimam fœminam, ſibi imitandã delegerat, domeſtico in conclaui, fecerat ſibi ſecretum cubiculum, in quo remota anachoreſi delectata, orationibus vacabat, ac ieiunijs, die, ac nocte; corpus cilicio edomabat; flagellis crebro cędebat, vt & in officio contineret, & laſciuientem illecebram compeſceret, & à tartàrearum Sirenarum ſuſurris prorſus auerteret; pernox demum, ac vigil, pſalmo-

diæ,

diæ, diuinæque ſcripturæ lectioni inſiſtens, crebris adeo hæc agens, hiſque immorans diuinis exardeſcebat flammis, vt ſe, ſe, identidẽ Holocauſti inſtar Deo quotidie immolaret. Suis ergo in ædibus tunc temporis clauſa, vrbem clamoribus obſtrepentem, buccinarum ſonitum, tumultuantiſque exercitus, curruum, & quadrigarum rumores obaudiens, excita, vernis, & domeſticis puellis aduocatis, ſiſcitatur, quid illis tum rumoribus Ciuitas perſonaret vniuerſa? Illi rem omnem ignaræ vrbanarum rerum Sauinę, vt quæ ſicut vitis abundans in lateribus do mus ſuæ deliteſcens Cœlo cum Angelis, diuiſque diuerſabatur, planè ediſſerunt; Crudeliſſimum adeſſe Chriſtianæ religionis hoſtem, Maximianum Imperatorẽ, qui ſecum duos Chriſti milites, lectiſſimos iuuenes, immani ferita-

te,

te, æreis cathenis arctiſſimè reuinctos, nudatis corporibus, currui alligatos pertraxerit, nullius ſceleris conſcios, ſed chriſtianæ reos pietatis, totamque ſeriem Mediolanenſis martyrij, multis cum lachrymis explicant.

His, pijſſima nurus, ſenſit maximè pectus vehemēti ictu percelli, animumque perpungi. Hinc dolore quatitur, inde lætitia tryumphat; dolorem creat ſæuiſſima Imperatoris in delectos Cœli milites exercita crudelitas; ingerit lætitiam martyrum conſtantia; ſuperata tormenta; miraculum ignis; quibus probè iam nouerat, Chriſtianam religionem, ſubinde cœpiſſe incrementa: iniecta illico ſanctiſſimæ Matronæ, maxima cupido, martyres alloquendi, cœpitq; mente opportuna machinari media, vt pijſſimo ſui animi voto frueretur; ceſſit illi euentus ex ſen-

ſententia. Triduo enim Imperator, martyres Laudæ haberi iuſſit in cuſtodia, vt interim nouis aggrederetur artibus, inuictam conſtantiam;& eiurare cogeret Chriſtum, quem colebant Ieſum, vel blandis pollicitationibus, vel cruciatuum horrore. Quod vbi illa didicit, ea qua in Vrbe Laudenſi pollebat auctoritate, & gratia, vt quæ generis nobilitate clariſſima, facultatum cenſu prædiues, facilè cuſtodes, pecunia ingenti donatos flexit, aditumque ſibi in carcerem, ad alloquendos martyres patefecit; in hunc demum admiſſa, hilari vultu, intrepida virago, Chriſti milites conſalutat, & valere iubet, ſeque chriſtianam faſſa, ruit in genua, ferreas, quibus conſtricti erant, cathenas exoſculatur. Quantam hic, vbi lectiſſimi illi iuuenes, heroinam illam, vel ſolius vultus maieſtate verendam

con-

conſpiciunt, chriſtianamque eſſe intelligunt, animo lætitiam conceperint, diuinare quiſque facile poteſt. Tum vero Sauina, magna, qua prædita erat eloquentia, faces admouente pietate, diuinoque amore pectus, quo maximè exardebat inflammante, his ſanctiſſimos milites cœpit ad ſtrenuè ſubeunda martyria exhortari. O nunc verè deuota Chriſto, & Cęlo capita, ò lectas Chriſtianæ Eccleſiæ victimas, quibus vos exornem laudibus? quæ vobis iſto in conflictu poſitis, fauſta apprecabor? Iam noſtis quæ adorea vos expectet glorioſiſſimi certaminis, vt mihi non admonendi, non incitandi ad agonem, ſed laudandi potius ſitis, qui hanc pugnam, cũ rigido noſtræ Fidei perſecutore, à vobis initam, pro pijſſimo legiſlatore noſtro Chriſto Ieſu, multo glorioſiorem cõcepiſtis futuram,

in-

infractis animi viribus, quibus cętera tormenta pertuliſtis, quàm ſi de prophanis hoſtibus victores, in Romano Capitolio tryumphum ageretis. Illa, illa, quam nunc Cœlum apparat, tryumphalis corona exoptanda eſt, quam vos generoſi, & prudentiſſimi milites, quernæ, vel murali, quas terrenus Imperator ſuis militibus cõcedit; leue, multi laboris, & periculi, cõpendium, præponitis; immortalẽ occaſuræ: ſolidam adumbratæ: cœleſtem terrenæ; qua demũ vero honore, & gaudio in theatro illo Empyreo afficiemini. O bene concepta veſtra conſilia, ò bene reiectam prophanam militiam, vt in Chriſti exercitu nobiliorẽ iniretis. Macti animo, ò Cœlo gratiſſimi, acriores, anteactis nunc exerendæ ſunt vires, vltima reſtat & glorioſa veſtri alea certaminis, quæ deſudatos hactenus labores æter-

æternæ memoriæ conſignet, modicum paſſi, æternum Cœleſti illa curia eſtis tryumphaturi; Vos hic infeſtiſſimus noſter hoſtis detinet ad deditionẽ, ſperat adhùc, minis, & tormentis, vel demum nece, quam horribilem interminatur, veſtram labefactare conſtantiam. O ſtolidum illum, qui neſciat, quàm potentior ſit Chriſti veſtro in pectore cõceptus amor, qui ignoret, quàm impigri euadãt illi, qui dulciſſimi Ieſu iacula pectori, vel ſemel defixa ſenſerunt. Agite iſta ad æthereas illas ſedes erumpendum via; Hæc vera eſt ſemita, qua tùm veteris Legis patres, tum nouæ; Chriſto præeunte ad Cęlum perexerunt, quæ veſtra erit gloria, parem cum generoſis illis Machabęis de perfido Chriſti, & Chriſtianorum hoſte euehere trophæa. Quæ laurea, cum ſanctiſſimis Apoſtolis cũ pro-

tho-

thomartire Stephano, tutelari noſtro Barnaba, Leuita Laurentio, cum tot iam Eccleſiæ martiribus victrices præferre palmas? Quod dedecus vero eſſet ſi erecta illa, ac valida veſtra iuuentus, ab octogenario Eleazaro, tantaque fama cõcelebratis antagoniſtis Machabæis, qui ſola ſanguinis Saluatoris noſtri, qui nõdum effuſus erat contemplatione, pro patrijs legibus, pro Dei honore, fortiter occubuere, vinceretur? ſed quid emeritæ ſenectutis Eleazari, quid robuſtiſſimorum iuuenum Machabæorum, quid ſanctiſſimi noſtri Barnabæ, quid Stephani, quid Laurẽtij in eludẽdis tyrãnorũ cruciatib⁹ vegetas vires cõmemoro? Imbelles ipſas fœminas, tenellas virgines, lactentes ipſos infantes, cum inſigni laurea martirij, Cœlo iam inuectos veneramur. Ipſa libentiſſimo animo prima irruam in fe-

feralia machinamenta. Certate fortes milites, ſtrenuè dimicatè. En ex illa, cœleſti ſpecula Ieſus ipſe, certamen veſtrum contemplatur, quod illi ſpectaculum, quàm iucundum præbebitis, Theatrum eritis Deo, Angelis, & hominib⁹. En celeſtes explicatæ phalāges: en viri illi, qui virentibus redimiti ſertis, & quem dealbauerunt in ſanguine agni amictu candido præcincti, veſtro inhiant adeſſe certamini, en tutelares Angeli, qui veſtrā morantur victoriā; Ipſa etiā quę ſurſū eſt Hieruſalē patria noſtra, quę nouo geſtit gaudio cū in vacuas deſertorum dęmonum ſedes, nobiles è Mundo victores videt inferri.

His Sauina ſuauiſſimè vincula identidem exoſculans, allocuta eſt martyres, breui illa mora, quam à Satellitio pecunia impetrarat. Interim vero ſingulis diebus fra-

ctos

ctos iam & penitus languidos martyrũ artus, frugali edulio reficere, & recreare non prætermiſit.

Quo loco, & tempore, Nabor, & Fælix, martyrio ſint perfuncti.

CAP. IV.

TRiduo elapſo, arbitratus Maximianus, Naborem, & Fœlicem, cruciatuum iam pertæſos, animoque fractos, deditionem facturos, ad ſe extra Vrbem accerſit, eos rurſus flagitioſis blãditijs adoritur, tum trucibus, & minacibus verbis; ſed cum nihil proficere animaduerteret, & nouis, iuuenes erectiores Sauinæ ſuaſionibus effectos, vrgere tormentis, intempeſtiuum duceret, capitalem

hanc ſententiam, ipſe auerſo præ
indignatione vultu legi iuſſit. Nabor, & Fœlix, ignauiſſimi noſtri exercitus milites: Deorũ immortalium deſertores: magicis artib⁹ infames: virgis Quiritũ lege prius cœſi, capite plectantur.

Prolata in martires ſententia, ſacrilego laniſtę obtruncandi traduntur: hic quadragies ſæuiſſimè diuerberatos, funibus conſtrictos, ad locum, quo capite plectendi erant, perduxit. Laudẽſem Agrum ad duodecim milliaria, exiguus irrigat fluuius, cui nomen Silerus, Celeram, & Exceleram, à priſcis ſcriptoribus appellatum inuenio, hic è minutiſſimis Mulazani, & Dreſani erumpentibus aquis, duplicem habet ſcaturiginem, lenis vero adeò fluit, vt ſtagnum potius, quàm elabentem dixeris fluuium; Cazimanum non pròcul à Lauda uetere, aliasq́; villulas, in-

terluit, mox Sancti Colūbani Cœnobium prætergreſſus, in Lambrum, non ignobile flumen, à quo Laudenſes ipſos Lambranos à Suetonio dictos animaduerti, influit. Fama è Sileri aquas, longo tractu, à vetere Lauda præterfluētes, SILERANVM alluiſſe, Oppidoque nomen dediſſe, alueus enim inſpicitur, quem ſicco cuique veſtigio vadari licet. Effert vero quà ruderata tellus veteris Laudæ cernitur, exiguam partem exeſi, & ſemidiruti pontis, in quo Nabor, & Fœlix, proprio ſanguine purpurati, lauream tandem martirij, tot tormentis promeritam, ſunt conſecuti. Fama eſt cœleſtis prodigij veneratione concepta, cum reliquæ huius pontis partes euerſæ, olim inſtaurarentur, paucos poſt dies diſiectas, & repetitis vicibus reſtitutas, præcipites iterum ruinam, magna ſanè accolarū

ad-

admiratione edidiſſe. Pijs autem martyrum auſpicijs contigiſſe arbitror, quod eo prorſus die, quo pontis huius tot Italiæ, & Laudēſis præcipuè Vrbis excidijs, incolumis ſeruati, prodigium ſcriberemus, litteras ab eruditiſſimo, & religioſiſſimo viro Defendēte Lodio, eius Vrbis Cathedralis Eccleſiæ Canonico, acceperimus, quibus retulit, paucos ante dies, Sileri aquas, creberrimis imbribus, quibus hac hyeme tellus immaduit auctas, cum turbineis vorticibus raperentur, nec aggeres tantum, ſed obuia quæque deuaſtaſſent, eius etiam pontis, quę penitus iam exciderant, vt vix vn⁹, & alter ſupereſſet laterculus, fundamētorum veſtigia, ſuo loco excuſſiſſe; en vero cum propediem indigenæ totam illam iam machinam lapſuram arbitrarentur, vix ſuo loco motam, paululum decli-

natam vident, vt integrum ſeruetur adhùc ſanctæ venerationi, ſacrum, & perantiquum illud monumentum. Cæterum vrbis Laudenſis Decuriones, tres ſupra viginti ab hinc annos, non pròcul à vetere illo penè exciſo, nouum põtem viatorum commoditati erexerunt, hoc appoſito grandioribus marmore inſculptis litteris, elogio.

DIVIS
NABORI ET FOELICI
QVOD ISTHAEC ANTIQVI
PONTIS EXCELERAE
VESTIGIA
CHRISTO IMOLATI SANGVINE CONSIGNARVNT
VT MIRE TOT SAECVLIS
PERMANERENT.
DECVRIONES LAVD.
PONTE RESTITVTO EADEM ILLIBATA SERVARI ICONEM LAPIDEMQVE PONI VOLVERVNT.
ANNO M. DCIII.

Verum

Verum hoc beatiſſimis illis martyribus relictum eſt monumentū, cum antiquitus, & ſuburbium, & Porta veteris Laudæ,quæ ad pontem illum patebat, Naboris, & Fœlicis, appellationem obtinuerit, donec vltimum vrbs ipſa aduerſi Martis eſt paſſa excidium. Vincunt tamen vetuſtate attriti illius pontis rudera, vaſtos quoſcunque à S.P.Q.R. ſuis Imperatoribus, ad earum pompas exornādas erectos fornices tryumphales, cum innoxij illorum martyrū guttulis ſanguinis, vt creditur, hactenus ſint reſperſa.

Non me latet ſcripſiſſe Zachariam Lippeloum, Naborem, & Fœlicem, Lugdunum à Maximiano perductos, martyrium conſumaſſe. Verum hic cum non ſemel in horum martyrum hiſtoria, erroribus, vt dicemus, ſit lapſus, non mirum, ſi in hoc etiam minus

verè ſcripſerit. Quod attinet ad annum quo ſacri ijdem milites, martyrio ſunt perfũcti,ſcio Card. Baronium, cuius auctoritati ſubſcribit Lippelous, eorum obitum reijcere in annum reſtitutæ ſalutis trecenteſimumtertium,qui fuit poſtremus Imperij Maximiani, ſed cum ad tanti ſcriptoris manus, Chronica veteris Laudenſis Vrbis, erudito ſanè ſtylo, à Ioanne Muſto deſcripta(quod ſciam)non peruenerit (nullam enim de ea mentionem, vt de Otthonis Murenæ eiuſdem Vrbis Chronica manuſcripta, apud ipſum reperi) facilè potuit fieri, vt cum nõ tàm Naboris, & Fœlicis, quàm plurium aliorum martyrum, tempus martyrij ignoraret, quos tamen à Maximiano damnatos inuenerat, in annum eius Imperij vltimum, eorum omnium natalem diem reiecerit. Nos annum ducenteſimum

mum nonageſimum ſecundum à Ioanne Muſto adnotatum, Naboris, & Fœlicis ſanctiſſimo obitui conſignabimus. Deo enim benè fortunante cum ſortè id agentes, Bibliothecæ Ambroſianæ Mediolani, vbi hæc ſcribimus, & edere paramus manuſcripta diſcuteremus, incidit in manus illius Chronicæ exemplar, latinis & longobardis characteribus mixtim conſcriptum, vetuſtæ adeo formæ, vt vix legi poſſint, eius hic concepta verba ſubſcribam.

Teſtãtur etiam glorioſi milites, Nabor, & Fœlix, quos anno Chriſti à natiuitate CCLXXXXII. atrociſſimi Maximiani Imperatoris edicto Sileri ſuper pontem detrũcatos fuiſſe legimus &c. Haud enim vereor, ea, quæ reperit, diligentiſſimus auctor, ſuæ Vrbis tabulis conſignata monumenta, præſertim quæ de Naboris, & Fœlicis martyrio agunt, magnæ tunc fuiſ-

ſe auctoritatis, cum nihil omnino hæſitet, ſed tanquam rem exploratiſſimam, quem adnotauimus annum ducenteſimum nonageſimum ſecundum, Naborem, & Fęlicem extremo ſupplicio affectos, ęnarret.

Diem vero martyrij fuiſſe quarto Idus Iulij, tum Romanæ, tum Ambroſianæ Eccleſiæ faſti dies, tùm omnium ſcriptorum auctoritas, planè conuincit. Quod vero Vſuardus ſcribit, biduo ante feſtum eorum diem in Africana Eccleſia celebrari; inde eueniſſe reor, quòd cum ij, qui earum Regionum Acta martyrum ſcriberent, litteras accepiſſent, quibus certiores redderentur, ſeptimo Idus Iunij, Laudam Sanctos martyres fuiſſe à Maximiano ꝑtractos morte mulctandos, arbitrati ſint, poſtridie eorum agonem contigiſſe, quo in eorum Eccleſia, annua eſt

eis,

eis, per eadem tempora, decreta feſtiuitas.

Sauinæ pietas in curando martyrum funere.

C A P. V.

SAVINA vbi Naborem, & Fœlicem, martyrio laureatos agnouit, eorum vero cadauera, Imperatoris edicto, quod ſceleſtiſſimus minitatus fuerat, in campo lappulis, & filice ſylueſcente, quo citius à feris, & carniuoris volucrib⁹ dilaniarentur, inhumata iacere, protinus ſecum agit, quomodo ſuos inuehat in lares, & ſacris buſtis adhibeat pollinctores, iuſtaque, ritu Eccleſiæ, perſoluat. Erat illa, pijs hiſce operibus iàm intenta, ſedulamque nauabat operam, nullis perterrita

impiorum minis, ne Chriſti milites, qui mortem oppetebant, ſepultura, & pijs inferijs carerent, ſed in Naboris, & Fœlicis curando funere, multo magis ſollicita eſt viſa, quos ſingulari quodam amore, & veneratione, viuos fuerat complexa, eoſque cupiebat domeſticis in Aedibus, graſſante paganorum perſecutione, diuos tutelares habere. Nouerat ſcilicet pia mulier, quantis Obededom Gethei, Domus, olim fuerat cumulata beneficijs, cum in eam Arca Domini illata eſt; itaque cœleſtis gratiæ rores, copioſius ſibi affluxuros concipiebat, ſacris illis reliquijs, quorum animæ iàm in Cœlum tryumphantes, ſerto glorioſi martyrij inſignes euolarant. Non diutius igitur cunctata, imperat carbaſea lintea expediri, pretioſaque domeſticæ gazę vaſa aurea, & argentea. Occiduũ
vbi

vbi Solem cuncta tenebris oppleuiſſe vidit, intempeſtæ noctis ſilentio, ex vrbe egreditur, rectàq; ad Sileri pontem contendit. Adſciuerat ſibi comites, ex domeſticis, & externis, quos Chriſtianæ religionis aſſertores nouerat; pijs operibus intentos: animo intrepidos, & paratos ſi quid incurreret aduerſi, ad ſubeundam etiam pro Chriſto mortem. Pontem tranſgreſſi, vbi ad illos incultos campos, in quibus ſacra iacebant pignora, cœno, & ſanguine defœdata perueniſſent, ferali aſpectu commoti, illico præficarum munus obeuntes, diffluunt in lachrymas, flexiſque genibus, pia deuotione, ſacras ſubmiſſo murmure preces recitantes, adeptas martyrij corollas, fortiſſimis illis militibus gratulantur. Tum Sauina ipſa capita quæ reciſa ſeorſim iacebant, ſuis ſurrepta mani-

bus, holoſericoque inuoluta velo, periſcelidi adaptat, à ſe deferenda: truncos alij corporum lineis implicant linteis: alij humentem ſanguine tellurem, ſpongia abſtergunt. Inde ſacro illo ditati theſauro, in Vrbem, præuia Sauina, læti reuertuntur; quæ Aedes ſuas ingreſſa, domeſticum in Sacellum intulit. Iàm multæ Romani Imperij prouinciæ, exibilata buſtuariorum barbarie, qua demortuorum corpora funerea incenſa pyra, cremabantur, Aſſiriorum, quos Perſas dicimus, Aegyptiorum, finitimarumque gentium morem inuexerant, penes quos, vetuſtiſſima erat conſuetudo, non melle modo, ſed myrrha, aloe, cedro, & id genus aromatibus cadauera oblinire. Id inter cœteros Romanos ſcriptores, teſtatur elegantiſſimis carminibus Lucanus.

Aegyptia Tellus,
Claudit odorato, poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora.

Sanè Chriſtianis præſertim, perquàmfamiliare huiuſmodi inſtitutum fuiſſe, non modo Chriſti Ieſu Seruatoris noſtri exanimati corporis, peracta à Ioſepho ab Arimathia aloes, & myrrhæ, pijſſima inunctione, ſed ex vetuſtiſſimis primæuæ Eccleſiæ martyrum vitis, qui capite diminuti, aromatibus, antequam humarentur, condiebantur, certo didicimus. Sauina ergo ea, qua prædita erat animi pietate, & liberalitate, nihil in curando martyrum funere, aut impenſæ, aut officij prætermiſit. Ipſa pollinctoris mun⁹ exequitur: ipſa lauit: melle delibuit, & inunxit. Multisque funalibus locum, vbi ſacra furta repoſuerat exornans, quà meditationibus, quà diuinis epicedijs, tota illa nocte litare,

tare, & parentare non deſtitit. Gaudebat ſuas Aedes, martyrum cadaueribus, ſepulchri, ac Templi loco ceſſiſſe, neſciebat vero inde diuelli, crebro dauidicum illud repetens. Hæc requies mea, hic habitabo, quoniam elegi eam. Aſſiduis demum pios martyrum manes fatigabat precibus, vt ſibi diuinam gratiam, pacem Eccleſiæ apud Deum identidem apprecarentur.

Sed enim in ſanctos martyres, impenſa à Sauina charitatis officia, quòd eius aut affines, aut conſanguinei eſſent, vt Paulus Moriggia, haud alia, quam Io. Antonij Galerati coniectura innixꝰ ſcribit; potius addo, ne quidquam, quod ad hanc hiſtoriam locupletandam legerim, prætermittam, quàm mihi alijſve perſuadeam. Ex Moriggia vero familia, fuiſſe martyres iſtos, quod Ambroſiana

na Eccleſia in hymnis,& Reſponſorijs, quæ eorum feſto die canẽs *Mauri genus*, appellet, extorta alliteratio eſt, cum præſertim eodẽ in hymno, Sãctus Victor martyr, Mauri & ipſe genus dicatur. Verba ſacri illius Carminis hæc ſunt.

Victor, Nabor, Fœlix, pij
Mediolani martyres,
Solo hoſpites, Mauri genus
Terriſque noſtris aduenæ.

Cur ergo potius Paulus Moriggia à Nabore, & Fœlice, quam à Victore, Mauriggiorum, ſeù Moriggiorum, repetit generis claritatẽ? neque in epiſtola, quam libro tertio ſuæ Mediolanenſium antiquitatum Hiſtoriæ prẹfixit,& Moriggij ſtemmatis ſtudioſis, eiuſdemq; conſanguineis, & affinibus nuncupat, cum multos ſui Generis viros, & mulieres ſanctitate illuſtres recenſet, ulla ab ipſo ſit Victoris martyris mentio? Sed fuerint

Na-

Nabor, & Fœlix, Moriggij, quibus tabulis, vel teſtibus, probat affinitate, vel cõſanguinitate fuiſſe cum Sauina coniunctos? iuuenes exteri, qui nullo militiæ gradu à ſcriptoribus (ſi vnum excipiamus Lippeloum, qui omnium nuperrimus acta eorum deſcripſit) decorati dicantur; caſu Mediolani, in exercitu Christiani inuenti, & accuſati, quomodo tàm breui cum familia tota Italia nobiliſſima, affinitatem contraxere? Quamobrẽ fides narrationis huius, ſit penes auctorem, nos reliqua proſequamur.

Dum hæc Laudæ gerebantur, cẽtimanus ille Briareus Maximianus, relictis Mediolani ſatellitibus, qui Chriſtianos vndique con quirerent, in puſillum Chriſtiani nominis gregem, immaniſſimè, vel abſẽs per emiſſarios illos bacchabatur. Capti ſunt inter cœteros

Caſſia-

Caſſianus, Licinius, Secundus, Seuerinus, & Alexander, teterrimumque in ergaſtulum detruſi. Degebat tunc ea in vrbe, in qua ſua etiam agnoſcebat natalia, vir morum probitate conſpicuus, cui nomen Maternus, hic à ſanctiſſimo Epiſcopo Myroclete presbiter inauguratus, ſæpe carceres, crebro fuſtium contuſiones, diuini diſpenſatione conſilij, quòd ad regendam Mediolanenſem Eccleſiam deſtinaretur, euaſerat. Hic vbi accepit Sauinam maſculo animo, ipſis in carceribus Naborem, & Fœlicem conueniſſe, liberaliter eos, & omnibus Chriſtianæ charitatis officijs tractaſſe, eaque perorante martyrium conſtantiſſimè conſumaſſe, magnis ſe ſenſit ſanctæ æmulationis facibus inflammari. Ergo ratus illud, quo perfungebatur presbiteri, & primocerij munus, eadem à ſe, & maio-

ra

ra chariſmata depoſcere, quinque illos martyres in carcere, diaria recreat annona, incendit ad conſtantiam, nihilq́ue relinquit, quod ad martyrum vel confirmandum in fide animum, vel ad curandum corpus videt pertinere, quin dum frequens hoc officio intentus, apud carceres eſt, Maximiani aulicos viros duos, Carpophorum, &
n. 1. * Xāthū; & Alexandrū militē qui iā chriſtianæ fidei non exiguā pectore alebant flammam, quam excitarant aſſiduæ auribus perceptę Chriſtianorum, qui in vinculis detinebantur horariæ preces, ſacro tingit lauacro, & pia inſtructos cathecheſi, cum Fidele ſibi fidiſſimo ſocio NouoComum, & Clauenā, trans Larium lacum, Euangelij præcones legat, eaſq́ue oras, laurea etiam martyrij decorarunt. Hæc Sauinæ prędicata exempla, dedere multorum animis incenſæ cha-
Digitized by Google

charitatis fomenta ; ipſam verò ſuis in laribus,religioſas Naboris, & Fœlicis reliquias,annis octo ſupra decem, toto nempe illo tempore,quo Mediolanēſis Eccleſia, crebris perſecutionibus perculſa, ac penè euerſa diriſſimè afflictabatur detinuiſſe manifeſtè prodit, tū manuſcriptus codex vetuſtiſſim⁹, qui in maiore Xenodochio Laudenſis Vrbis aſſeruatur, in quo auctor,vbi Sauinæ hiſtoriam aggreditur huiuſmodi præfixit titulum, qui characteribus minio exornatis,hactenus inſpicitur.

Miraculum S. Sauinæ de anno 310.

Tum præterea vetuſtiſſimum Martyrologium M. S., quod in Bibliotheca Cœnobij Mediolanenſis Sancti Franciſci reperi, in quo hęc leguntur.

Mediolani Trecēteſimo decimo anno, die deci-

decimaoctaua Maij Tranſlatio Sanctorum Martyrum Naboris, & Fœlicis, & fiet Feſtum duplex maius.

Porrò diuturno tantorum annorum curriculo, quas chriſtianarum virtutum faces Sauina exeruerit, quæ pia opera perpetrarit, quæ charitatis in alios ſanctos martyres, in pauperes officia impenderit, penitus iniuria, tùm temporum, tū hominum ſcelere, ignoramus: Sed nullus mihi ambigendi relinquitur locus, cum iam cęleſti obſecundante aura, ad æternam illam patriam proueheretur, nihil prætermiſiſſe, quo benè incohatæ vitæ faſtigium imponeret, & theſaurum Euangelicæ perfectionis, in agro abſcōditum, cœteris poſthabitis inquireret, & repertū coemèret.

Naboris, & Fœlicis corpora ſacro in Cæmeterio humanda, Mediolanum Sauina defert.

Cap. VI.

APpetebat iam annus ſalutis trecenteſimusdecimus, & ſextus iam exceſſerat, quo Maximianus Herculi⁹, Diocletiani collega exemplum ſecutus, purpureũ paludamentum Mediolani depoſuit, quamquam vero quos perditi illi tyranni aſciuérant in Imperium; Conſtantius Chlorus, & Galerius, par in chriſtianos odiũ conceptum conſeruarent, & funeſtiſſimis cladibus in Chriſti aſſeclas graſſarentur; nonnihil tamen viſa eſt Eccleſia reſpiraſſe, iàmq; apparere quædam veluti illuceſcentis auroræ crepuſcula, quæ So-

Solem lucidiſſimum, & innubilũ oboriturum, propediem protenderent. Conſtantinus enim,qui à latinis ob ſibi demeritam benefactis chriſtianã Rempublicã MAGNVS, à Græcis vero MAXIMVS dictus fuit, defuncto Eboraci Conſtantio patre, & teſtamentarijs genitoris tabulis, & totius Imperij ſuffragantibus votis, Imperator decernitur. Ab hoc quanta Chriſtiani vniuerſi receperint commoda, noſtri non eſt inſtituti pluribus recenſere. Certè in eo admiranda eſt diuina prouidentia, quòd Maxentius, Maximiani Herculij filius, qui iã Romæ in Magnum Conſtantinum turbas excitauerat,& multos Chriſtianorum interfici iuſſerat, Legẽ hoc anno ſciuerit, qua Chriſtianorum corpora, quod pluribꝰ vetitum fuerat legibus, & edictis, intra etiam ipſius Vrbis mœnia, huma-

mari permiſit. Hac igitur Lege per Galliæ togatæ vrbes peruulgata, Sauina agitare pio animo conſilia cœpit, non amplius intra domeſticum conclaue, ignotas penè, auguſtiſſimas detinere reliquias, ſed ſanctiorem deferre in locum, quo facilius à fidelibus, qua par erat veneratione colerentur, dedecere enim arbitrabatur accēſas lucernas, ſub modio detineri, ſed edito in loco, quo ab omnibus videantur debere eſſe conſpicuas. Accurrit in re tanti momenti ad preces, has dum tenebricoſa in nocte, ſub dio funderet, en illi fulgentiſſimum noui ſyderis lumen, quod obſcuriſſimam noctem adeo luce perfudit, vt Solem ſudo in Cœlo referret diurnum. Agnoſcit Sauina prodigium, ſenſit diuinam mentem ſibi patefieri, omniaque cœleſti illo omine pręuio, ſibi fauſtè arridere intellexit. Per

idem

idem tempus Maternus presbiter, cuius honeſtiſſima nuper mentio incidit, qui eodem anno ſal. ducē-teſimo nonageſimoſecundo, quo Nabor, & Fœlix interempti ſunt; teſte Donato Boſſio, Mediolanenſium Præſul electꝰ fuerat, & à Maximiano Imperatore per ſummã tyrannidem, in Ordinē redactus, Sacris Antiſtitum miniſterijs inuitus ceſſarat, reddita chriſtianis pace, Eccleſiam ſibi creditam denuo gubernandam ſuſceperat, hic quo cultꝰ, & ſanctorum veneratio, quæ iam coaluerat, in dies magis, magiſque augeſceret, conquiſitum ſumma diligentia ſancti Victoris Martyris corpus, in loco, qui Sylua vlmea dicitur, vbi olim curia, & Theatrum, nunc vero inſignia patrum Oliuetanorũ, & Capuccinorum, Aſceteria ſunt, pari pietate, & pompa, contumularat. Sauina ergo auguſtiſſimæ illius pompæ, &

pæ, &

pæ, & humati martyris Victoris buſti, accepto nuntio, & cœleſti ducta, & erecta lumine, cogitat ea quæ diù Domi detinuerat pignora, deferre Mediolanum, ſanctoque Præſuli concredere, verita tamen, ne à militibus in itinere interciperetur, vel à ſatellitũ procacitate aliquid pateretur, currum expediri parat, & rude doliolum, tùm frigentia cadauera, religioſa iterum modulata epicedia, melle delibuit, opobalſamo, alijsq; pretioſiſſimis aromatib⁹ obliniuit, à myſtis mox ritu Eccleſiæ litato carpheoto, & ſacris decantatis precibus, expedito dolio occludit. humili interim ipſa, abiectoque amictu præcincta, tutelaribus illis pignoribus ſe ſatis defenſam rata, quibusuis ablegatis famulis, curru conſcenſo Mediolanum capeſcere iter, rhedarium iubet.

Vetus Laus-Pompeia ad ſextum

ſupra decimum milliare Mediolano diſtabat, haud longè paſſib⁹ ſeptenis millibus, rectà tendentibus Oppidum occurrit, Lambro flumine irriguum, LIGNANVM tunc illi nomen, poſt fœlicem vero, Sauina ductrice, horum martyrum traiectum, eo mellis miraculo, quod narrare paro nobilitatum, ab incolis, & accolis MELIGNANVM dici incępit, quod nomen, nunc etiam culti latinæ linguæ ſcriptores vſurpant, quàmquam vernaculus Inſubrum ſermo, peruerſione litteræ, vt multa alia, retento Ligurum more, qui litteram L, in R; ſuis in dictionibus vernaculis prolatione commutant, in MERIGNANVM corruperit: paret Oppidum Mediceæ familiæ dynaſtis, Marchionatus titulo, Imperatorum diplomate decoratum. Hùc vbi Sauina perueniſſet Lambri ad portũ,

in ſatellitium, portitorumnè, vel Cæſarianorum militum, incertũ; incurrit: ab his ſiſtitur, mox iniectis intro oculis, vbi neglecta veſte opertam fœminam vident, ignari matronæ nobilitatis, inſolenti petulantia, naulum alij, & ſtrenam, depoſcunt, cœteri pari procacitate, quid in ligneo illo vaſe ſit ſciſcitantur, & ſi quid vectigalis pendendum, ductrici fœminæ pedagia imperant. Sauina diuino afflata ſpiritu, plena numine, plena diuina confidentia, modeſtiſſimè, ore, & oculis compoſitis, in dolio mel eſſe reſpondit: illi inurbanius, ſiue militari inſolentia, ſiue nil fœminæ fidendum arbitrarentur, dolium contrectant. Ecce vero (Pròh verendam Chriſtianorum fidem) mel illico exiliter diffluere vident. Re ita explorata, ad ſtatiua cum remeare pararent, Sauina ſuperno acta nu-

mine, Idololatriæ errorum fibras excindere, ſacriq́ue Euangelij euẽtilare faces, quò clarius longiuſq; lumen diffunderent opportunum ducens, ſatellites reuocat, hisq́ue affatur dictis. Iam nè certi eſtis in dolio mel eſſe; emerſit illud, veſtris oculis conſpexiſtis; explorate nunc iterum, & quẽ probroſis ſannis Chriſtianorum Deũ traducitis, iam tandem eum eſſe cognoſcite qui creauit Cœlum, & Terram, qui non longè eſt ab vnoquoque noſtrum. Eius, hodie, hodie, quem forſan perſequimini, admiramini potentiam; ſuſpicite maieſtatẽ; eorum hic ego exanima defero contecta cadauera, qui militari & ipſi baltheo aliquando præcincti, in caſtris Imperatoris veſtri Maximiani merebant, ſed exploſo, & eiecto prophano Idolorum cultu, luſtrali tincti Chriſtianorum lauacro, proprio-

prioque ſanguine purpurati, in Cœlo, quod patria noſtra eſt, poſt initos, & ſuperatos labores, fœliciſſimè conquieſcunt. En ille ipſe Chriſtus, quem dicterijs forſan proſcidiſtis, meam hodie adiuuit fidem, importunam veſtram eluſit diligentiam. Nunc prodo Chriſti miraculum, ſe ſe vobis Chriſtus iàm verus Deus, admirando mellis prodigio pandit. Hic illi attoniti, cum diſiectis dolioli aſſeribus, ſacra illa immaniter lacerata, & ſemeſa cadauera introſpexiſſent, Magnum eſſe Chriſtianorum Deum conclamant. Pluribus Sauina ea, qua pollebat eloquentia, cum milites illos in Chriſtiana pietate inſtrueret, cohorreſcere primum turba illa viſa eſt, dein flendo colliquefieri, qui vnanimi denium conſenſu cathecheſim, cum luſtratione depoſcunt; Sauina eos Mediolanum inuitatos cœ-

ptum iter proſequitur; eorũ multi ſanctiſſimæ Matronæ, ne alijs impeteretur incurſibus, ſecuraq; incederet, itineris comites, periculorum ſocij, ſe præbuere. Verum ſanctiſſimis Martyribus Nabori, & Fœlici, Templum dicatum diù Melignanenſes extulerunt, vetuſtiſſimasque tabulas (vt accepi) in quibus multa de Sauina, & ſanctis martyribus memoriæ poſterorum conſeruabantur, ſed furente Marte, mutuisque diſſidijs, loricatis furoribus, Chriſtianis graſſantibus, dum Oppidum ſæpe concutitur, Templi excidio, illa omnia ſimul deleta ſunt.

Non hic Lippeloi narrationem multis expendam, qui Acta Naboris, & Fœlicis, & ipſe, vt iam diximus, deſcribens, geminas matronas, quæ pij funeris exequias ſint proſecutæ cõminiſcitur; quarum altera, excauata ſuo in præ-

diolo

diolo ſcrobe, humo contegenda martyrum cadauera curauerit, altera vero eadem furtim ſublata, Mediolanum detulerit; neoterici ſiquidem ſcriptoris commenta, ſatis euincunt, tùm Ambroſianæ Eccleſiæ tabulæ, tum longa auctorum ſeries, quam eo, quo polliciti ſumus loco, recenſebimus.

Auctoris iuditium de reſponſo à Sauina portitoribus dato.

CAP. VII.

HAud ab re me digreſſurum exiſtimo, ſi Sauinæ portitoribus datum reſponſum expendam, ſcrupulumq; mendacij, quē quis ſibi effingere poſſet ſubmoueam. Non enim ignoro, noſtri tēporis Nouatores iſta ſannis excipere, vt quos Eccleſia Catholica

ſacra apotheoſi decoratos colit, ſuis blaſphemijs dehoneſtent, & diris iciant.

Ne vero hic à narratione hiſtorica, ad theologicas diſceptationes digrediar, multa hic volens, lubenſque prætereo, quæ tùm è Theologorum doctrina, tùm ex ſacræ Scripturæ religioſis Interpretum commentarijs, peti poſſent argumenta, præſertim cum Factum illud, quo Chriſtus Domi nus peregrini facie, diſcipulis qui apud Caſtellum Emaus, occiduo Sole, in Hoſpitium inuitantibus, finxit ſe longius ire, aliaque id genus plura, quæ in ſacris veteris Teſtamenti tabulis, recenſentur elucidant. Illud mihi ſatis erit dixiſſe; Sauinam, Spiritus ſancti numine, eo in articulo, & periculo poſitam, agnouiſſe, ſuis verbis, diuinam potentiam, præſto futurã, quæ mel concederet affirmanti.

Non

Non iſtud vnũ in rebus ſacris verſatis; palàm innumeros ſanctos, diuini Spiritus afflatu, multa futura prænouiſſe. Quin addò ſeruorum Dei in omnipotente fiduciam, pro rato habere, quod apprecantur, vt ea Sauinæ, non tàm reſponſio, quàm cõprecatio fuerit, quà Deus conceſſione, occurrerit periclitanti.

Plura habeo exempla, quæ afferam, niſi potius Sauinæ factum, ijs præberet, quàm robur repeteret: ſanè illud magnum, quod de Sancta Iſabella Luſitanorum Regina, quam ſanctiſſimus, qui nunc tanta prudentiæ, virtutumq; omnium laude, Chriſtianũ regit Orbem VRBANVS VIII. in album Sanctarum nuperimè retulit, enarratur. Quæ cum in veſte non exiguum pecuniæ numerum complicaſſet, vt pauperibus corrogata ſtipe præſidio eſſet, vbi à

marito Rege, quem tùm fortè offenderat, rogaretur, quid in ſuffarcinato cinčticulo inferret; roſaſque reſpondiſſet,& illico explicaſſet, miraculoſo ſanè prodigio, virentes, & ſuaueolentes roſæ apparuerunt, quàmquam anni tempeſtate haud roſis opportuna. Cui perſimile eſt, quod Paulus Areſius Derthonæ Antiſtes, eloquentia, eruditione, pluribuſque alijs virtutibus eminentiſſimus, in ſuis ſacris *Impresijs*, cum *Roſa* explicat prærogatiuas de D.Thoma Aquinate protulit exemplum, & in Belicaſtrenſi Ciuitate, Laurentij Ananiæ auctoritate, contigiſſe narrat. Cum enim in ſinu domeſtici epitogij, panem, quem pauperibus ad paternas ædes confluentibus deſtribuere parabat, occultaſſet, rectàque ad egenos ſe cõferret, in patrem incurrens ſiſtitur. Quidque in ſinu gereret rogatur.

Ille

Ille acerbam veritus parentis obiurgationem, roſas ſe habere reſpondit. Viſum patri mendacium, cum anni illud tempus, roſas effloreſcere non permitteret, minitans explorat; cum ecce roſas recentiſſimas, ſuauemque odorem inhalãtes deprehendit. Tertium ſubnectam, quod nuper Vido Vaninius Poeta celebris, cum Sanctæ Sitæ miracula, altero epigrammate, eleganti ſſimè deſcribit, his de pane in flores perſimili euentu conuerſo cecinit:

Mirum quodq; magis, Cereris ſunt munera flores.

Adderem, ni mihi magis arrideret non neotericorum modo, ſed vetuſtiſſimorum ſcriptorum auctoritas, qui cum piæ fidelium memoriæ, huiuſmodi factum conſignarunt, tanquam miraculoſum deſcripſerint, mel vtique, in Dolio Sauinam dixiſſe, quæ melle, vt di-

xim⁹, non modo cum Naboris, & Fęlicis corpora pollinciret, ſed cùm Mediolanum deferre meditaretur altera vice perfuderit.

Templum in Cœmeterio B. Philippi, SS. Nabori, & Fœlici, curante Sauina Mediolani erigitur.

CAP. VIII.

MOderabat̄ adhùc, quo tépore, iniecta iā ſpe pacis Chriſtianæ Eccleſiæ; ea quæ ſupra narrauimus, Sauina sāctiſſimè peragebat Maternus, eiuſque pontificatus decimusoctauus incurrebat annus, ſi Donato Boſſio credimus, inter Mediolanenſes ſcriptores, hiſtoriographo non ignobili, neque enim deſunt qui dicant, cum nondum Maximianus, Imperio ſe abdicaſſet, ſanctiſſimum illum Antiſtitem fato ceſſiſſe. Sed cum deploranda prorſus contentionum ambage, annorum ſupputationes, & ordinem temporum, auctores ferè omnes, qui res Mediolanen-

ſis Eccleſiæ, ſtylo ſuo exornarunt penitus perturbarint, vel euerterint, nos ijs omiſſis, quæ prorſus aliena ab inſtituto noſtro cenſerentur; Maternum tunc Præſulis munus geſſiſſe, tamquam rem certam adſtruimus, ea præſertim ducti ratione, quòd eo defuncto, propè Naboris, & Fœlicis, & beatiſſimæ Sauinæ ſepulchra contumulatum legamus, quamobrem eius contigiſſe obitum, poſt auguſtiſſimam martyrum translationē, æra ſcilicet à Chriſti Incarnatione trecenteſima decima, nulla apud nos eſt difficultas. Sanctiſſimus igitur Antiſtes, cum Eccleſiam illam, quæ nondum adoleuerat, tanquam ſuo vtero genitam maternis foueret vberibus, de Sauinæ cum ſacris reliquijs, aduentu certior factus, incredibili viſus eſt lætitia affici, qui pijſſimæ fœminę laudare pietatē nō ceſſabat.

Illa Mediolanum incolumis apulſa, Antiſtitem ſacram deferens reliquiarum ſarcinam adit, quem ſibi obuiam properantem vbi cōſpexit, in genua prouoluta, oſculum Pontificis pedibus figit. Tum hilaris, aduentus cauſam aperit, ſeriem itineris explicat, imperatorium ſatellitium, in Oppido Lignani, inſigni mellis miraculo, Chriſto partum oſtendit, quo deinde obſepta, reliquum itineris, metu uacua, peregiſſe declarat. Maternus collaudata iterum fœminæ pietate, milites qui ad Chriſti caſtra, Sauina noua Debora, claſſicum excitante, confugerant, hilari vultu complectitur, ſacra cathecheſi erudiendos, vitali abluēdos latice Diacono tradit. Hæc inter ſecum agitant, quibus honorib⁹ digniſſima illa pignora exornent, quovè Vrbis loco digniore, humo contegant, Hortus erat in

ea Mediolanenſis Ciuitatis parte, vbi nunc P.P. Ciſtercienſium, & Franciſcanorum, in morē propè Municipiorum, religioſa ædificata conclauia conſpiciuntur; ſalubribus adeo aquis irriguus, vt ad illas hauriendas non turbæ modo fidelium, ſed pagani, & infideles, teſte magno illo Eccleſiæ Doctore Ambroſio, confluerent. Loci famam euexit nobiliſſimus, iuxtà, ac pijſſimus vir Philippus Oldanus, qui ab ipſo Barnaba Apoſtolo ad fidem Chriſti conuerſus, naſcentem Eccleſiam ſui illius horti munere, donatam eſſe voluit, nullus exinde fuit tota Inſubria locus ſanctior, ſiue eo tempore, quo furentibus tyrannis, in cryptis eo loco ſubſtructis, tanquam ad tutiſſimum Aſylum, profligati Chriſtiani confugientes, conuentus inibant, & ſacra à myſtis percipiebant; ſiue quo ſedata turbi-

num

num tempeſtate, palàm ad ſacra martyrum colenda cadauera cateruatim percellebantur. Sacellum altero, quod iam effluxerat ſæculo, Caius Sergius, ſecund⁹ poſt Barnabam Antiſtes excitarat, Saluatoris Orbis, titulo inſigne, ea in Aede, Nabori, & Fœlici ſepulchrum Maternus poſuit, donec lõga poſt interualla temporis, pijs fidelibus annuentibus, & fauentib⁹, Templum, eorundem martyrum nomine, & Parœciæ titulo inſignitum, S. Simplicianus poſt magnũ Ambroſium electus Antiſtes extruxit, & Sacras inſuper Relliquias cancellis ſepſit, circa quæ, tempore etiam S. Ambroſij, vt Baronius Cardinalis, & Paulinus Presbiter, in eius vita ſcribunt, vota, & preces, Fideles perſoluebãt.

Cum autem Rodulphus Tũgrenſis Decanus ſcribat, Ambroſianã Eccleſiam, Naboris, & Fœlicis,

pro-

proprium olim habuiſſe aſceticarum precum Officium, quod nullis, niſi Sanctis inſignioribus, Eccleſia Catholica concedere conſueuit, eundem fuiſſe, & Templi, & Officij auctorem Simplicianũ, par eſt credere. Dolet vero vir erudititiſſimus Ioannes Antonius Caſtillionæus, quæ dudum ſuperera nt, poſt tot Vrbis Mediolanenſis excidia, & Oldanei Cœmeterij,& Sergiani Sacelli, vel ipſa antiquitate verenda veſtigia, à conſectraneis S. Franciſci penitus exciſa,& ſolo æquata fuiſſe; titulum quæ immutatum Baſilicæ (quod eius ſupra fores, marmore inciſa etiam teſtatur inſcriptio) his verbis enarrat. *Philippi quoque Aedes nomen habuit initiò Redemptoris. Naboris, deinde ac Fœlicis ſimul, ob illatos eò cineres amborum martyrum, inibique, pijſſimè conſeruatos, D. Franciſci tandem, cum qui Diui eiuſdem diſciplina ſunt conuentuales fratres, maluerint eam Inſtitutoris ſui*

no-

nomine nuncupare.

His Mediolani emicabat Sauina pietatis facibus, eo prorſus tẽpore, quo Romæ Lucina, Irene, aliæque Matronæ nobiliſſimæ, haud diſſimilibus Charitatis operibus operam nauabant. Ita ſanè Deo Mediolanẽſis Eccleſiæ exordijs ominante, vt pietate, & ſanctitate, cum Romana Chriſti Vicaria dècertaret, quàm fauſte adeo auſpicatam, hactenus conſeruat.

Paulus Moriggia fatetur quidẽ inclytas Naboris, & Fœlicis reliquias, fuiſſe à Sauina Materno tunc Epiſcopo traditas, minus tamen ſibi conſtans in ſua illa Hiſtoria mihi videtur; ſcribit enim anno trecẽteſimo vndecimo, quo ineunte, vt dicemus, Sauina obijt, Maternũ Antiſtitis dignitate fuiſſe inauguratum. Idem martyrium S. Victoris anno ducenteſimo octua-

tuageſimo conſignat, eodemque Maternum fuiſſe Epiſcopum aſſeuerat.

Menſem autem fuiſſe eius anni quintum, quem Maium dicimus, ea ducor coniectura nequis temerè in hac me Hiſtoria ſcribere exiſtimet, quod Naboris, & Fœlicis Translationem, ipſo Kalendarum eius menſis die, Patres Franciſcani, ea in Eccleſia ad annum vſque milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimumprimū, vt ex verbis Martyrologij M. S. Franciſcanæ Bibliothecæ, quæ Capite quinto recenſuimus, apertiſſimè conſtat celebrarint; quo nempe anno Sãctus Carolus Borromeus ſextodecimo Kal. Octobris, vt infra dicemus, Naboris, & Fœlicis, quæ biduo ante repererat corpora digniorem in locum noui Odæi ædificio nobilitatum tranſtulit, cui Kalendarum Maij Translationis antiqua feſtiuitas ceſſit.

Pius Sanctæ Sauinæ obitus.
CAP. VIII.

PEruagarat iã inter pios Chriſti fideles, Oldaneos Hortos; Naboris, & Fœlicis ſacris corporeis exuuijs, fuiſſe ditatos. Auxit hinc fama, Chriſtianorum animis pietatẽ, & loco venerationẽ, præclariſſimum namque eorũ martyrium eòvſque omniũ memoria, ſermoneq; vigebat. Tota proinde excita Inſubria, ad ſepulchri venerationem; Cõfluere illico fideles, magna frequentia, inſignia conferre donaria, ditare Templum eleemoſynis, mauſoleum exornare martyrum, nuncupare vota, votiuaſque exponere tabellas videbãtur; magna ſubinde miracula edebantur, Deo ſe glorioſum in ſanctis ſuis, miris ſignis, in dies magis,

gis magiſque oſtendente. Illùc arreptitij confluentes, à ſæua Dę monis tyranide vindicabantur, orbati oculis, amicam ſibi lucem ſenſere redditam, claudique erecti, nulllũque erat morbi genus, quod martyrum deuotio, non depelleret. Neque ea tantum ætate, Mediolanenſis Ciuitas, illorum martyrum perſenſit patrocinium, à Paulino ſiquidem presbitero probè didicimus, Baſilicam illam, in qua Naboris, & Fœlicis tumulùs erat, celeberrimè D. Ambroſij tẽpore fuiſſe frequentatam, multiſque eorundem martyrum auſpicijs, miraculis claruiſſe. Sauina ergo quamdiù vixit, tryumphare gaudio, maioreq; pietatis ſtudio, colere martyres incæpit. Atque illa, quę abundanter pectore conceperat diuinos charitatis radios, foueratque maximè, tot pijs operibus inflammari ſibi ardentius

cor

cor ſenticbat, diuino amore, eòq; euaſerat, vt nihil illi ſapere, præter Deum, nihil cogitare, quàm cęleſtia, cum Deo perenni viuere cõtemplatione. Iam Sauina eleemoſynis erogandis profuſior, vigilijs, & corporis maceratione auſterior, orationi aſſidua, in Tẽplo frequentior, hìc vitam agere, hìc in oratione Dei pernoctare. Annam illam Phanuelis filiam, orbatam viro, quã à Luca Euangeliſta nouerat commendatã, quæ à Tẽplo non recedebat, ieiunijs, ac orationibus ſollicita, nocte, ac die, ſimilibuſque operibus intenta proceſſerat in diebus multis, imitandam ſibi propoſuerat, quamobrẽ ſacratiſſima illa Baſilica aſſiduè eã orantem habebat, pijſque meditationibus vacantem, occiduus æque Sol, ac oriens inueniebat. Iàmque corporeæ pertæſa ſarcinæ, cupiebat animam ad Sponſum

ſum euolare, eripiq́ue de carcere mortis huius. Cumque feſtinaret ingredi in illam requiem, æternāq́ue anhelaret fœlicitatem, ſuſpirans ſuæ in hoc terreno domicilio moræ prolixitatem, illud inter amantis Cœlum animi ſuſpiria, & lachrymas, frequēter vſurpabat. Hei mihi quia incolatus meus ꝓlongatus eſt nimis. Frequenter vero Cœlo defixa, hæc ſæpe martyres alloquens perorabat. Vosnè inuicti Chriſti milites, illa iàm fruimini gloria Deo coniunctiſſimi? O ęthere tryumphatores martyres, quæ vos nunc momētaneas poſt tribulationes, breuia poſt tor menta æterna decorat gloria? Ita nunc Ieſum, per amœna illa Cęlo rum ſpatia, ſequimini cum parmu la ducem, milites laureati? Me miſeram, quæ hic moror. Eripite me tandem veſtris precibus, è tenebricoſa hac lachrymarum Valle: vos

im-

imploro, ne me diù hic ſuperſtitē patiamini: euadam per vos tandem procelloſum hoc mare; in fœliciſſimum illum vitæ portum me recipiam: date pia numina, famulæ veſtræ, vt his ſoluta vinculis, in libertatem aſſerta, hæc tandem anima mea, Cœlo, Deoque perfruatur. His nouem menſes, feruentem in oratione Sauinam, Tēplum illud excepit; cum à cœleſti nuntio diem obit[9], horamque terrenæ demigrationis accepit; illa læta, auidiſſima exitum expectabat ſpe; ſeque ad Deum, ad Cœlū tota compoſuit. Pridie itaque Kal. Februarij, plus ſolito, entheo inardeſcens amoris igne, Templū ingreſſa, orationi propè martyrū ſepulchrum ſe dedit; dumque fertur in Deum ardentior, menſque tota rapitur in ſupernas illas ſedes, animam eò anhelantem, ſecū è corpore eductam feliciſſimè per-

pertraxit; genuflexa enim, & orãs in Domino obdormiuit ſanctiſſimè. Maternus lectiſſimæ Matronę obitus nuntio accepto, aduolat ad cadauer: neq; vero vbi demortuæ illam faciem conſpexit, à lachrymis temperauit. Accurrit, & Chriſtianorum ingens numer⁹, quorum vox vna erat firmiſſimam pubeſcentis Eccleſiæ columnam cecidiſſe, egenorum perfugium, diuinarum virtutum exẽplar, neochriſtianorum Antiſtitam, omniũ demum parentem, & magiſtram interijſſe. Aeternam mox requiem pius Antiſtes apprecatus, iuſtisq; Eccleſiæ iam more recepto perſolutis, honeſto in loculo iuxta Naboris, & Fœlicis ſepulchrum, vbi illa viuens humari edixerat, religioſum corpus, terræ reddit. Quæ miris clareſcere cum cœpiſſet miraculis, Sãctarum numero per Eccleſiæ Notarios, vitæ, & miracu-

lorum actis deſcriptis aſſeritur. Talis Sauinæ vita, & exitus, ſanctiſſimus fuit.

Oldradus Treſſinus Mediolani Gubernator electus, S. Franciſci religioſis viris accitis, Templum in quo S. Sauina gentilis ſua, contumulata iacebat, in vaſtam molem erigi curat.

CAP. X.

ANnus erat poſt reſtitutã humano Generi ſalutem, milleſimus ducenteſſimus, trigeſimus tertius; cum Oldradus Triſſinus, vt omnes qui res Mediolanenſiũ hiſtorico ſtylo proſecuti ſunt planè docent, ad regendam eius Vrbis Rempublicam, communi conſenſu accerſitur. Erat is religione,

ne, pietate, prudentia, cœteriſq; virtutibus ipſa nobilitate illuſtrior. Libeat hic, ad tanti viri, non Mediolanenſium modo, ſed vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ benemerentis, teſtandam pietatem, quædam ex illorum temporũ memoria repetere. Emerſerant quo tempore Oldradus, Mediolani, ad clauum ſedebat Reipublicæ, fœda quædam Hæreticorum capita, ab Inferis euocante Sathana educta, tetrumque inhalarant virus, quo Eccleſiam fidelium, in qua nõ eſt macula, neque ruga, fœdè inficere, & ex orthodoxa, etherodoxam, reddere pertentarant. Hæc varias in Sectas diuiſa, hydræum referebant monſtrum, quod Prætor Triſſinus, admotis ignib⁹, herculea arte, feliciſſimè confecit. E perditis Sectarijs vt Bernardinus Corius refert, alij Patarini nuncupabãtur, alij Pauperes Lug-

dunenſes, cæteri vero, qui Paſſagini, qui Ieſeppini, qui Arnaldiſtæ, qui Speroniſtæ, perſimilibuſque ſubhorridis nominibus, varias illas hæreſes, diuerſis nuncupationibus, quaſi characterib' inſigniebant. Omnium vero ſceleſtiſſimi, & turbulenti erant Nouatiani, quorum deliramenta, & ſuppurata iàm Hæreſis, ex Aphrica mõſtrorum fęcundiſſima, ſiue quo tempore Chriſtianam Eccleſiam Fabianus, ſiuè, vt alij verius ſentiunt, Cornelius regeret, Nouato Epiſcopo deſertore anteſignano, eruperant. Maiora ſubinde incrementa ſuſceperat, cum ſceleſtiſſimus hæreſiarcha Romam profectus, alterum reperit ſuæ perfidiæ collegam Nouatianum, preſbiteratus ordine inſignitum, ſed verſutia, fraudibus, periurijs, mendacijs, faſtu Stoicorum, quorum profitebatur philoſophiam, infamem.

mem. Neque decimum fermè poſt ſæculum, tot Aphricanæ. Romanæ, Italicæ, & Antiochenæ Synodi ſanctionibus; tot Cypriani, Theodoreti, Dionyſij Alexandrini, Ambroſij, Auguſtini, aliorumvè doctiſſimorum patrum libellis pareneticis, ſacriſvè Declamationibus, portentum extingui potuit, eò vero ſuperbiæ proceſſerant, vt cum ſe mundos prorſus, & à quauis, vel leuiſſima labecula innocuos arbitrarentur. Remiſſionem peccatorum, apoſtolica doctrina traditam, omnemq; proinde pœnitentiam illuderent, candidis lacernis amicti incedebant; & CATHARORVM ſibi nomē, phariſaica temeritate, ac ſi puriſſimi eſſent, ſibi indiderant, cum verius meo iuditio Acatharos, omni labe, ſordeque cœnoſos, & mūdanos, quàm mundos cum Eccleſiæ Doctore Auguſtino dixiſ-

 ſes.

ſes. Fœda hæc lues, non in Mediolanenſem ſolum Vrbem, ſed in omnem graſſata Inſubriam, dirè Eccleſiam depopulabatur, magniſque incrementis, vt Hæreſis, niſi capita initio elidas, facilè ſerpit, inualeſcebat. Hic igitur non prudentia modo, ſed pietas in Deum, amor in Rempublicam, & in Romanam Sedẽ Prætoris Triſſini obſequium enituit. Vt enim gliſcentem hæreſim reprimeret, ac penitus extingueret, per litteras Gregorium IX. Rom. Pontif. ob vindicatam Eccleſiaſticam libertatem, & Decretalium volumen magno labore collectũ, omni æuo celebrandum, admonet, Sectariorum ſcelera eò euaſiſſe, vt niſi præſentiſſimo remedio occurratur, ſeram fore medicinam, rebellemque morbum recuſare lenimenta, omnibus proinde occurrendum viribus, ne lues, longas

per

per moras ingraueſcat,& iàm latè bacchanti, extrema ferri, & ignis medicamenta adhibeantur. Romanus Pontifex Triſſini receptis litteris, in re adeo graui,haud cũctandum ratus, Petrum Veronenſem, è nobiliſſima Prædicatorum familia (quem martyrio, & miraculis celebrem Cathalogo Sãctorum adſcripſit, & colit Eccleſia,) Quæſitorem generalẽ totius Inſubriæ Oldrado delegat; iubetq; tanto viro adiutore, nihil non intentatum relinqui, quoad hæreſes illas, non compeſcat modo, ſed extinguat. Petrus Mediolanum apulſus, magno gaudio Oldradum perfudit, doctiſſimi ſiquidem, & ſolertiſſimi viri præſidio auctus, qui doctrina conuincere, vigilantia explorare, & perquirere Sectarios poſſet, Leges illico in transfugas tulit. Exſcripſit has ex authographo,quem memorauim',

Bernardinus Corius, & in vernaculam linguam, rudi licet, & impolito ſtylo, vt ea ferebat ætas conuertit, quas quilibet antiquitatis ſtudioſus, apud eundem in Mediolanenſis editionis, anni milleſimi quingenteſimitertij, vetuſtis exemplaribus, conſulere poteſt; mox compulſis ad Hæreticos indagandos emiſſarijs, quot reperit ea tabe infectos, contumaces, & refractarios, igne conſumpſit. Non hic ſe continuit Oldradi ardor, flagransq́; in Deum Charitas, ſed cum haud pridem è viuis exceſſiſſet Magnus ille Franciſcus Aſſiſinas, qui in Dei Eccleſia, nouam militiam erexerat, eaque in profligandis hæreſibus, quà vitæ auſteritate, quà concionib⁹, quà diſputationibus ſtrenuã exiberet operam; arbitratus Prætor Triſſinus, ſi pios eos homines, noſtros milites, ad conficiendas ſectario-

riorum reliquias aſſumeret, maximum in religioſo opere, ſibi auxilium præbituros, eos in Vrbem inuitatos, humaniſſimè recipit, & Templum, in quo Sancta Sauina, quam ſuæ Familiæ gentilem agnoſcebat, geminique illi ſanctiſſimi martyres Nabor, & Fœlix in ſepulchro conditi colebantur à pijſſimo viro Henrico * Settario, vel verius forſan, Gulielmo Rozolio, tunc Mediolanenſis Vrbis Antiſtite, & Septalij ſucceſſore, tradi curat. Ne vero hac etiam in re veterum ſcriptorũ auctoritas deſideretur; quatuor ex multis rerum Mediolanẽſium ſcriptoribus teſtes producam, qui exploratiſſimam planè faciunt fidem, Franciſcani Ordinis Patres, Oldrado Triſſino promotore, in Mediolanenſem Vrbem receptos, & auguſtiſſimi Templi eodem fautore, iacta fuiſſe fundamenta.

*Sep lio.

Primus erit Triſtanus Calchus, cuius Hiſtoria cum manuſcripta priuatis in Bibliothecis deliteſceret, iam typis cuſa, breui omnium (vt accepimus) teretur manibus, qui de Oldradi Triſſini Prætura diſſerens, hæc ab eo apud Paulum Benium in Hiſtoria Familiæ Triſſinæ, quo loco de memorandis fabricis, à multis, qui ab ea traxere genus, magnanimis, & generoſis viris, quà Religioni, & Vrbium decori, quà Genio, & animi oblectamento cōſtructis pluribus agit, ſcripto poſteris tradita reperimus. *Anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo tertio, Præturam Mediolanenſem ſortitus eſt Oldradus Treſſinus, vetere Laudenſium Familia ortus, ſub quo emptus eſt publicè locus, media Vrbe, ad nouum Forum faciendū, &c.* Mox ſubdit. *Hoc etiam tempore, in Vrbem recepti ſunt Sectatores D. Franciſci, quos fratres Minores vocamus, eisq; non procul ab Ambroſiana, conceſſa ædes, Naboris, & Fœlicis.*

Tri-

Triſtano Calcho, Donatum, Boſſium, Bernardinum Corium, & Ioannem à Monte ſubnectam; quorum quilibet primum lapidem Eccleſiæ Fratrum Minorum, Oldradi Triſſini auctoritate in Vrbe Mediolanenſi poſitum fuiſſe teſtantur; vt quamplures alios omittam, cum in ore duorum, tantum etiam, vel trium ex Saluatoris noſtri ſententia, facilè veritas eluceſcat. His ego auctoribus, Prætoris Triſſini religioſum pietatis monumentum, quo Franciſcani Templi fundamenta iecit, & in Mediolanenſem Vrbem Seraphicum Ordinem adſciuit, conſtabilio. Non alioquin neſcius, non defuiſſe qui ſcripſerint, Cellulam quandam ab ipſo D. Frāciſco extructam, quæ prope campanariā turrim Marianæ Eccleſiæ *Falcorenæ* olim, à Comite Falcoreno fundatore, nunc vero *Caſtagnolæ* nuncu-

patæ, oſtenditur. Hanc ego hiſtoriam valdè ambiguā exiſtimo, cum nullus eius Diui contemporaneus, de hoc domicilio Mediolani ab eodem extructo verbum faciat, ſed vera illa ſit, & cellulæ illi, celebrem hanc temporū antiquitatem donemus, Veroſimile eſſe ego tantum arbitror, Seraphicum Patrem; nouæ ſoboli per totum Orbem iam excurrenti, vt Chriſtum lucrifaceret, ne præclariſſima in Vrbe, ad meritorias tabernas diuerteret, cum nondum iuſtum Cœnobium haberet, Hoſpitiolum propè Templum illud Virgini ſacrum curaſſe.

Verum cum nobile, & antiquū Templum, in eam vaſtam molem erectum cernamus, vt nullū Mediolanenſis Ciuitas, poſt Archiepiſcopale maius efferat, Oldradi munificentia, ſi non perfectum, incohatum ſcimus. Dedit hoc

Præ-

Prætor Triſſinus, gentili ſuæ pietatis monumentum, pluraque alia peregit, quæ ex hominum memoria ſurripuit Antiquitas; multis interim alijs ornamentis Mediolanenſem, quam rexerat Vrbem, officijs, & beneficijs cumulatam, ſibi adeo deuinxit, vt equeſtri marmorea ſtatua, Moderatoris optimi, & benemerentis memoriam, Reſpublica conſeruatam uoluerit. Viſitur hæc hactenus in Foro mercatorũ, metrico ſubſcripto elogio, pedeſtri licet muſa, vt illa ferebãt tempora, quo pijſſimus vir Oldradus FIDEI DEFENSOR Catharorumque hęreſis extinctor, hemiſtichio hoc inſcribitur.

Catharos vt debuit vſſit.

Sub phalerati aſturconis pedibus, cõſignatur annus marmorea in tabella, his inciſis literis.

✠ MCCXXIII. DOMINVS OLDRADVS DE TREXINO POT. MEDIOLANI.

Sauinæ corpus poſt annum ducenteſſimum ſexageſimum ſupra milleſimum, à S. Carolo Borromeo integrum repertum.

CAP. XI.

QVantum magnus ille Carolus Borromeus, vbi creditam ſibi Mediolanenſem Eccleſiam, ſuſcepit moderandam, zelo exarſerit, res eccleſiaſticas In priſtinum decorem non ſolum vindicandi, ſed maiore etiam ſplendore illuſtrandi, omni prorſus narratione maior fama ipſa deprædicat, & monumenta poſteris conſignata loquuntur. Cæterum in Sanctorum Reliquijs adornandis, ita animo propenſus fuit, vt nihil magis haberet in votis, quàm vt ſacra pignora, maxi-

mis

mis ornamentis illuſtrata ſplēdeſcerent, & veneratione pari colerentur.

Hic vero mihi Reliquiarū martyrum Naboris, & Fęlicis Tranſlatio, & corporis S. Sauinæ Inuentio à Sanctiſſimo Antiſtite anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimoprimo, ob attritas à fœderatis Chriſtianis principib⁹, ad Echinadas Turcharum vires memorabili, luculento apparatu, & præſigni pompa Kalendis Octobris, vt ex tabulario Franciſcanorum Patrum multisque alijs eius Aetatis Scriptoribus apertiſſimè conſtat (quicquid hac etiam in re, Paulus Moriggia ſcribat) peracta occurrit. Ad Sanctum D. Franciſci Delubrum pijſſimus Pontifex Cleri, & religioſorum Ordinū longo agmine ſtipatus, proficiſcitur, Naboris primum, & Fœlicis eo in loco, vbi vetuſtum Eccleſiæ

Odæum

Odæum fuerat, effodi oſſa iubet; quale vero fuerit martyrum ſepulchrum, & quibus excultum ornamentis Carolus à Baſilica Petri è nobili Sodalitio Clericorum Reg. S.Pauli, & Nouariæ Antiſtes, piorum operum Sancti Caroli indiuiduus comes, & ſanctitatis æmulator in vita Sancti Materni ſcripto his verbis reliquit *ea erant in arca ſilicea* (corpora ſcilicet Naboris & Fœlicis) *in terram deſoſſa, operimento, laminis ferreis, arcæ adſtricto, & in ea præter corpora inuenit vaſa quædam vitrea, quæ viſa ſunt liquorem quēdam tūc exciccatum continuiſſe; inuenti etiam ſunt baculi, & fragmenta chartæ viridis, folliorum palmarum ſpeciem exbibentis, ex quibus quidem baculis, & charta, martyrum palmas, veteres illos effingere voluiſſe, dubium non eſt*. At vero martyrum capita ſeorſim poſita, haud voluit in nouū, quem ſub Ara maxima Sanctus Antiſtes Carolus tumulum parauerat inferri, ſed thecis occlu

ſa

ſa argenteis in Lario aſſeruari, eaque ſtatis tantum diebus in Tẽplo publicitus exponi videmus. Maxima ſanè veneratione dignæ Reliquiæ, quę & diſertiſſimum Eccleſię Doctorem Ambroſium, ſuis in ſcriptis laudis præconem, non ſemel habere meruerunt. His ritè Carolus Antiſtes peractis, ſacellum à Moriggia gente, poſt tot Vrbis Mediolanenſis excidia reſtitutum, adijt, ibique repetitis de more precibus, marmoreum Mauſoleum, in quo Sanctæ Sauinæ corpus contegebatur aperiri iuſſit; Ecce vero venerationi par admiratio, ſancto eſt iniecta Pontifici, cum Matronæ præclariſſimæ verendum cadauer, tot annis ſepulchro repoſitum, tot ruinis, & direptionibus, incolume non ſolum, ſed integrum planè, ac incorruptum, & gratiſſimum afflans odorem habuit in conſpectum, quin dum

dum ſacras contrectaret reliquias; ipſa crepidarum ſubera, linea, laneaque operimenta, nulla carie, aut vetuſtate exeſa reperit. Exciuit rei tum fama, Mediolanenſem ad venerabile Sepulchrum ciuem vniuerſum, frequens exinde fit cõcurſus, veneratio omnibus maxima par miraculo incutitur, nullus expleri ſatis exanimis illius corporis aſpectu, & dormientis potius quàm demortuæ faciem intueri arbitrabatur. Hinc admirari, & omnipotentiam Dei, confluentes nullo ordine ciues, laudare non ceſſabant. Qui & omnia Sanctorum oſſa cuſtodit, & capillum de capite eorum perire non ſinit; vbi ſatis magnis cateruis accurentium ciuium deuotioni eſt conceſſum, Sanctus Carolus dentem è mandibula euellit, quem argentea techa locatum cymelij loco tenuit, & collo dum vixit, circumtulit,

mar-

marmoreoque ſarcophago, denuo diuæ corpus integrum, vt inuenerat, recondit. Beatam vero animam, inter ſanctos ſuos tutelares præcipuam adſciuit; cuius peruigilium feſtiuitatis, cilicio, & ieiunio celebrabat, faſto vero eiuſdē die, non alibi, quàm in Sauinæ Sacello, ſacris operam dabat, poſt diuinam litationem, arca quotannis aperiri iuſſa, piè ſacras reliquias orans colebat: multas hinc effuſum Carolum erat videre in lachrymas colliqueſcere, tenerrimis ſuſpirijs, identidem è pectore exhalantibus, totum diuinæ contemplationi dare animum. Et niſi poſt multas horas, inde diſcedere nouerat. Cœterum pius Antiſtes veritus, ne effrenis alicuius petulantia ſuffurari ſacrū pignus attentaret, vel aliquid ſurripere, vectibus ferreis, qualem nunc cōſpicimus ſiliceam arcam occluſit,

vt

vt eam iam reſerare, fas impoſterum ſit nemini.

Ne vero tàm inſigne, omniq́ue æuo celebrandum miraculum exanimati cadaueris, poſt tot annorũ cẽturias integri reperti, & odorẽ ſuauiſſimum ad noſtra vſque tempora expirantis, è memoria hominum excideret, iuſſit Sanctus Carolus tabulas teſtibus firmatas, & Notariorũ Apoſtolicorũ Hieronymi Caſtillionæi, Bernardini Cattanei, Iacobi Regretti, Baptiſtæ Corij, ipſiusq; Archiepiſcopatus Cancellarij Bartholomæi Pãpolionis manu exaratas, in pluteis ſuæ Curiæ aſſeruari. Eademque Carolus à Baſilica Petri, & Paul⁹ Moriggia, qui tunc temporis ſcribebant, ſuis in Hiſtorijs conteſtati ſunt; alijque noſtræ ætatis viri eloquentiſſimi, inter quos Franciſcus Rugerius, qui Sauinæ corporis incorrupti reperti, prodigioſũ

euentum, patriæ ſuæ, ſuperſtiti gloriæ conſulens, attica propè facundia deſcripſit. Neque quod referunt aliqui de Naboris, & Fœlicis corporibus, quæ vt retulimus vna cum Sauinæ corpore à S. Carolo in Baſilica Frãciſcana reperta ſunt, vel in Galliam, vel in Germaniam tranſuectis, fidem ijs, quę nuperrimè expoſuimus adimere poterit, eaque præſertim narratio, quã annis præteritis Lippelous protulit, qui nil hæſitans, tanquam rem compertiſſimam ſcribit, cum trium Magorum corpora, qui Chriſti incunabula venerati ſunt, poſt direptam, & euerſam à Friderico Rubrobarbo Mediolanum, Reynoldi Agrippinæ Coloniæ Archiepiſcopi opera, ad eã Vrbem tranſmitterentur, Fœlicis, & Naboris reliquias, pariter eò fuiſſe conuectas. Hiſtoria enim illa licet non ignobiles habeat aucto-

ctores, inter quos Bernardin⁹ Corius ciuis Mediolanenſis obſcuræ tamen fidei, & prorſus ambiguã, ſcitè coarguit Ioſephus Ripamontius. Penitus vero falſam Carolus à Baſilica Petri eo, quem ſupra retulimus loco euincit, tum ex Alberti Krantzij Hiſtoria, tum ex multis, quibus, ſe ſe implicãt Germani ſcriptores contradictionib⁹; Cum Vſuardus Briſaci, cęteri Coloniæ Agrippinæ, aſſeruari corpora illa dicant. Genebrardus vero, licet & ipſe in Galliã anno ſalutis ſeptingẽteſimo ſexageſimoquarto eorundẽ martyrũ corpora ſcripſerit aſportata, nõ tota illa, & integra fuiſſe, ſed oſſium ſegmina, & cinerum reliquias (ſi narratio illa vera eſt) prudẽter admonet Cardin. Baronius.

Fauet Sancti Caroli pietas, qui niſi certo certius crediidiſſet, quæ tranſtulerat Naboris, & Fœlicis oſ-

oſſa, ea ipſa eſſe, quæ tantorum annorum ſpatio venerata eſt Vrbs Mediolanenſium, non eas confici tabulas perpetuo teſtimonio valituras, ab Eccleſiaſticis ſcribis permiſiſſet.

Addam, pluribus ante illã trãſlationem annis, marmorea in tabella, quam ſub Hydrautico inſtrumento, quod Organum dicimus, ad læuam Franciſcanæ Baſilicæ videmus, exametris nonnullis Reliquias, quæ ibi conduntur, à Gabriele Barlaſſina eius Ordinis Prouinciali fuiſſe recenſitas, qui de Nabore, & Fœlice, ac Matrona Sauina hæc cecinit.

Hic Nabor, hic Fœlix, hic Fortunatus habetur;
Nec nõ Sauinæ ſanctæ, venerabile corp⁹.

Sauinæ honores recenti hac ætate exhibiti.

CAP. XII.

HOc vno, vel firmiſſimo argumento Paulus Apoſtolus inter cætera diuinam omnipotentiam eſſe prædicandam cenſuit, quòd obliteratis inanium Deorũ ſacrilegis, & prophanis ritibus, in ſe ipſum omnia traduxerit. Certo enim nouimus, abolitos tutelares illos falſos Deos, quibus inſana ſuperſtitione occæcati gentiles, pro quocunque morbo litabant, quorum infinitam penè ſeriem enumerat S. Auguſtinus in libris de Ciu. Dei, verioreſque ſuffectos eſſe Diuos, Sanctos nempe, quos Catholica veneratur Eccleſia, quorũ precibus pijs noſtris votis facile annuit Deus; eos, vt patronos, celunt

ſunt fideles, ſentiuntq; ſuis in periculis inſpectantes, & vindices. Certis tamen in morbis, alijſue periculis, placuit diuinæ bonitati, eos haberemus paratiores aduocatos. Vt, qui gutturis morbo: qui dentium dolori: qui mammarum vlceribus: qui articulorum cruciatibus: qui lui: qui oculorũ lippitudini, præſint conferendo ſanitatem. Res teſtata apud pios fideles, & quotidiano comprobata experimento eſt, præſto eſſe orantibus patrocinium Sanctũ Blaſium laborantibus gutture; Apolloniam dentibus; Agatham papillis; arthriticis Vincentium Leuitam; peſtilentia laborantibus Rochum; lippitudine Luciam. Porro Mediolanenſibus hæc, quæ cœteris omnib⁹ Chriſtifidelibus De⁹ conceſſit aduerſis in valetudinibus, & diſcriminibus perfugia, haud ſibi ſufficere arbitrantes, pluri-

bus alijs, in moıbis numina nonnulla alia Sanctorum depoſcunt. Sanctum enim Petrum martyrem in cephaleæ, hemicraniæ, cæteriſq; capitis doloribus implorãt. Quin præclariſſimorum martyrũ Sebaſtiani, & Chriſtophori, feſtos eodem menſe, feriantur dies, ſeptimo Idus Ianuarij, & decimotertio Kal. Februarij, vt quos cognoſcunt ſagittis à gentilibus cõfoſſos, eorum patrocinio, quaſi ſcuto protecti, cœlitus immiſſa peſtilentiæ ſpicula, facilè eludãt. Nobiliſſimus igitur Vrbis eiuſdem Matronarũ Ordo, cũ in immoderata mẽſtruorũ; eaq; perniciosa ægritudine, præſenſerit inuocati Sauinæ numinis patrocinium, nuncupatisque deuota fide votis præſentaneam frequentiſſimè agnouerit, non modo ſibi tutelarem Diuam delegiſſe certò ſcimus, ſed annis ſuperioribus, erigere SO-

DA-

DALITATEM Sauinæ cultu, & teſſera, deſtinaſſe, affirmarunt mihi Franciſcani Patres, qui ſacros in ea Eccleſia peragunt ritus, quã olim, in Eccleſia Sanctæ Euphemiæ, eiuſdem Mediolanenſis Vrbis habuiſſe, ea ducor coniectura, quod in Martirologio M.S. Franciſcanæ Bibliothecæ, hæc legantur.

Tertio Kal. Februarij. Mediolani, celebratio Sanctæ Sauinæ, quæ fuit Matrona Laudenſis, hæc duxit corpora Sanctorum Naboris, & Fœlicis, ad Ciuitatem Mediolani: Hæc iacet in Eccleſia Sancti Naboris: Hæc valdè honoratur ad Sãctã Euphemiã.

Non defuerunt noſtro æuo è Triſſinea Familia gentiles, qui diuinos ſanctiſſimę viragini honores exhibuerint. Vicetiæ enim anno milleſimo ſexcenteſimo decimoſexto cum Altare D. Laurentij, in Templo ipſi Leuitæ & Martyri ſacro, à Bartholomeo Triſſino abauo meo, anno quadringente-

ſimo quarto ſupra milleſimum ere ctum, inſtauraretur, & magnificẽtius exornaretur, auratam Sauinę ſtatuam in faſtigio coronidis, Põpeius Triſſinus eques, & philoſophus eximius, locandam curauit.

Bonifacius Triſſinus frater meus, ſuorum pietatem ſecutus, alterum Sauinæ monumentum Vicetiæ poſuit. In Sacello enim, quod annis ab hinc quatuor ſupra viginti, Octauia parens in Templo Cõgregationis noſtræ Somaſchenſis, Diuis Iacobo & Philippo Apoſt. ſacro erexerat, ſanctiſſimæ Matronæ piam imaginẽ graphycè delineatam poſuit, Arámque Deiparæ Virgini, & Sanctæ Sauinæ gentili ſuæ dedicauit.

Laudis-Pompeiæ annis præteritis, curante pijſſimo viro Defendente Lodio, eleganter depicta Sauinæ Imago viſitur, in Templo Sancti Martini, quod Martinus Treſ-

Treſſinus anno poſt illius Vrbis reſtaurationem trigeſimo tertio fundauerat, & opibus multis ditauerat, & adhùc pijſſimi fundatoris, gentilitium retinet nomen.

Huic ergo eidem gentilis, æquè ac deuotus, iſtam quam ſcribo Hiſtoriam deuoueo, & ſacro; idque officium Sanctiſſimæ Matronę pendi, quod pleroſq; alios viros, non qui eruditione tantum, & eloquentia, ſed qui vitæ ſanctitate celebrantur, huiuſcemodi officium conſanguineis,& affinibus ſuis, vita ſanctiſſimè perfunctis nouerim perſoluiſſe. E Latinis enim Patribus, res eſt fama, & tabulis notiſſima, Sanctum Ambroſium Eccleſiæ Doctorem, Sancti Satyri fratris ſui acta duobus libris fuiſſe complexum. Diuum verò Auguſtinum Sãctæ Monicæ matris ſuæ, vitam, in libris confeſſionum explicaſſe, Ipſumq. Pontificem Gre-

gorium, operum magnitudine & cognomine Magnũ, Sanctas Tarſillam, & Aemilianam amitas ſuas, Atauumq. Fœlicem Quartum Romanum Pont. ſanctitate celebres, miris laudibus exornaſſe. His accedit mellifluus ille Doctor Sanctus Bernardus, qui dum Cantica exponeret, Sermonem in laudem Gerardi fratris ſui habuit.

Ex Græcis vero Patribus habeo huius muneris admonitorem, & impulſorem Gregorium Nyſſenum, qui Baſilij fratris ſui, & Macrinæ ſororis, laudes oratione elegantiſſima, & eruditiſſima exornauit. Petrumque, Baſilij alterum fratrem, multis extulit elogijs. Seſe inſuper mihi offert Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus, qui Sancti Cæſarij fratris ſui, & Sanctæ Gorgoniæ ſororis, illuſtria geſta, ornatiſſimo ſtylo eſt proſecutus.

Nec

Nec defuerunt recentiores quã-plures, viri diſertiſsimi, & erudi-tiſsimi, qui acres mihi admouerũt faces. Noueram enim Bernardum Iuſtinianum patritium Venetum, magni illius Patriarchæ B. Laurentij Iuſtiniani patrui ſui, vitam poſteris commendaſſe. Matthęum inſuper Bandellum, è Dominicana Familia, Venerab. Vincentij Bandelli Familiæ eiuſdem, viri ſan ctiſſimi vitam pariter, poſterorum memoriæ conſignaſſe. His adde Iulium Sanſedonium, & Hippolitum Porrum, quorum alter B. Ambroſij Sanſedonij, alter vero Beati Angeli Porri, Ordinis Seruorum, pia geſta, nobis, poſterorumq. memoriæ, ſcripto exaratã tradiderũt. Nec deſunt forte alij, qui ad manus meas non peruenerunt.

Noui pariter mei eſſe muneris, cum cœteri mei conſanguinei, quà Sacellis, quà Statuis, quà Imagi-

nibus, pia Sauinæ monumenta colenda conſecrant poſteritati, quod ego ære Religioſorum votis obſtrictus, muneris, & debiti officium pendere non valeo, ingenio (qualecunque illud ſit) perſoluere. Iconem ergo animi Beatæ fœminæ, deuotionis meæ argumentum, & pietatis teſtem, quòd diutius tabulis conſignatum relinquẽdum optaueram, Deo fautore, & auſpice peregi.

Sauinæ Genus & mellis in Oppido Lignani patratum miraculum plurium auctorum teſtimonio comprobatur.

CAP. XIII.

COronidem operi imponam: Et quod initio pollicitus ſum, auctorum hic ſyllabum producam,

qui

qui non modo ſanctiſſimæ iuxta, ac nobiliſſimæ feminæ, Generis nobilitatem; quin celebre illud mellis miraculum quod *cap. ſexto* retulimus confirmant.

Primus occurrit Ioannes Muſtus cuius paulo antè cum de Naboris, & Felicis certo martirii tempore ageremus, honeſtiſſima mentio incidit, hic recenſita eorundē martyrum lucta, hæc mors ſubdit. *Quorum mox ſanctiſſima corpora* (Naboris ſcilicet & Fœlicis) *inſigni, ac precioxa ſindone inuoluta, & in vaxe concluſa ligneo, Sauinam mulierem ſanctiſſimam, nobili, generoxaque ex Trixinorum Familia natam, Inſubrum ad Vrbem adduxiſſe prædicant, ad quæ maiora * vt tibi * miranda dicemus, ipſo in itinere, vbi Lignanum ad Oppidum ventum eſſet, portitoribus ipſis, quidnam merces ſubueheretur acutè ſpeculantibus, ab ipſo ſtupendo, è lagena, ſtilo ferreo perforata, illico fluente mellis ſtillicidio, Melignanum ſibi nomen comparaſſe, quandoquidem, vt diximus, Legnanū antea Oppidū ipſū nominaretur. &c.* &

Ioſeph Ripamontius, in ſacra ſua Hiſtoria Mediolanenſis Eccleſiæ; poſt enarratum Naboris, & Fœlicis certamen, in Sauinæ laudes excurrens hæc habet. *Sacra corpora Naboris, & Fœlicis, Mediolanum retulit Sauina Matrona nobilis, haud minus pietate in Deum, quàm generis claritudine. Sita ſunt in vetere martyrum Cœmeterio, quà poſtea dicatam ipſis ædem, Diui Franciſci nomen, & honos occupauit. Eadem in Aede condita ſeruantur, Sauinæ ipſius oſſa, quæ mulier obijt, per id tempus inſigni fine, Namque tota in martires diuinos, obuerſa, ſiuè periclitantes inuiſendo, & iuuando, ſiuè iam extinctos tumulando; Cum id Officium Nabori, & Fœlici perſoluiſſet, incubans fortè die quodam ei ſepulchro, ſublatis in Cœlum manibus expirauit, itaut matronali quiete, martirum ipſorum haud dubiè merita, & nomen, apud poſteros æquaret. Patria illi Laus-Pompeia,* TRISSINA *gens, & multa decora fuere, quæ peperit ipſa, quænè à maioribus accepit* Etcæt.

Philippus Ferrarius vir pietate & eruditione inſignis in ſuo *Cathalogo Sanctorum Italiæ;* vbi die tri-

geſima Ianuarij, Sauinæ acta ex tabulis Breuiarij Ambroſiani excerpta elegantiſſimè deſcripſit, parergon quo Diuæ nobilitatem Generis exprimit, his verbis attexuit.

Licet hæc Sancta Matrona Mediolano, quod ibi obierit diem attribuatur, Laudenſis tamen fuit ex nobili, vt aiunt Laudenſes, Treſſinorum Familia, corpus Mediolanum; in æde Sancti Franciſci.

Franciſcus Rugerius è Triſſinorum ſtemmate Vicetiæ, & Laude-Pompeia nobili, Sauinam genus ſuum duxiſſe his apertiſſimè fatetur. *Sauinam ciuem Vicentinam, & Laudenſem, dum ſuos cenſet gentiles, habet Triſſinea Familia, quam referat in teſſeram primo loco nobilitatis* Etcæt. Miraculum vero mellis pluribus quæ hic referam, commemorat. *Nauabat* (inquit diſertiſſimus auctor) *inuictiſſima animi virago operam hanc, Chriſti martirum humandorum diligentiſſimè, quà Laudæ, quà Mediolani contumulabat, & iuſta perſoluebat ſanctiſſimè. Ergo cum fortiſſimi duo Chriſti mi-*

 lites,

lites, Nabor, & Fœlix, chriſtianam militiam ſanguine conſignaſſent, iugulata verò cadauera inhumata iacerent, vbique prætorianæ ſtarent excubiæ, difficilèque eſſet, Laudæ tàm vigili cuſtodia ſepulchro condere, anxia Sauina, vbi ea intempeſta nocte ſuſtuliſſet, iubet carpentum phaleratis mānis expediri, in hoc ſacra buſta, quanta poteſt ſedulitate occultat, eoque conſcenſo, rectà Mediolanum tendere imperat vernaculo aurigæ. Vix Oppidi (Lignano tunc nomen erat; nunc mellis miraculo Melignanū dicitur) in conſpectum ſe dedit, cum vigiles cuſtodes, iubent inſiſtere; quo pergat, quid ferat, contumaciſſimè explorant. His diuinæ Sauina plena confidentiæ, ſe Mediolanum maturare, melliſque dolia ſecum deuehere reſpondet. Tum illi, militari inurbanitate inſolentius ſciſcitari, ſacrum Viduæ furtum contrectare curioſius pergunt. Cum ecce diffluere liquidiſſimo melle carpentum vident. Porro Sauina, diuinam bonitatem demirata, verum militibus ediſſerit, reuelat ſacrata pignora: Illi miraculum, non tam mente admirabunda, quā pia concipiunt, Sauina Chriſtianæ Fidei faces præferente, profanam militiam protinus eiurant, cœleſtique Sacramento Chriſtianæ

mili-

militiæ adſtringuntur Etcæt.

Illud ipſum, rudi licet ſtylo, & penè exoleto ſcribendi characte-re in codice vetuſtiſſimo, qui in tabulario maioris Valetudinarij Laudæ, aſſeruatur, breui hac nar-ratione conſignatum reperi.

Miraculum Sanctæ Sauinæ de anno 310.

*ERant duo milites S. Nabor & Fœlix, qui plurima in Ciuitate Laudenſi paſſi ſunt tormenta, poſtquam vero ligati * Laudæ ducuntur, carceribus traduntur. Beata Sauina eos die viſitabat, qui valdè dilaniati, capitalem ſubierunt ſententiam; nocte ſequenti prædicta Beata Sauina, ſanctorum martirum corpora, cum aromatibꝰ ſepeliuit, in Domo propria; tenebroſam aliã noctem, claritate maxima illuminare dignatus eſt Dominus, oſtendens ipſorum corpora, optimiori loco recondenda fuiſſe, apparuit illico Stella, cæteris fulgentior, quã intuens Beata Sauina, cunctorum artificem laudare cœpit, intelligens prædicta corpo-ra, non*

* L dan

ra, non ibi benè permanere, quæ Spiritus ſancti gratia irradiante, ſanctorum martirum corpora, in vehiculo poſito, currui ſuperpoſita, oratione profuſa, verſus Mediolanum cœpit iter, cum autem perueniſſet Legnanum, requiritur. Quid habes in vehiculo mulier? quæ reſpondit MEL, non confidentes de muliere hauſerunt, & mel exiuit, de vehiculo, quod factum miraculū, prœcernens, confeſſa quod in vehiculo erant corpora ſanctorum martyrum Naboris, & Felicis, extractoque oſtiolo vehiculi, ibi prædicta corpora inuenerunt, ad quod miraculum conuerſi, in Domino crediderunt, & tunc impoſuerunt Terræ prædictę nomē Melegnanum, Sancta Sauina vltro properans, cum corporibus, Mediolanum adijt, & in Hortum Philippi recondidit.

Inſigni huic monumento vel ipſa antiquitate verendo, addam quod nuperrimè reperi in ſanctionibus Synodi Laudenſis diœceſanæ tertiæ, Reuerendiſſimi Michaelis Angèli Seghitij, eius Vrbis Antiſtitis iuſſu, Anno 1619. decretis, & editis. Quas inter, Cathalogus etiam ſanctorum, & Beatorū

Lau-

Laudenſium inſpicitur. De Sauina vero poſt Sanctum Gualterium Confeſſorem, hæc legimus.

Sancta Sauina, ex familia nobili de Treſſinis, cuius memoriam colimus, die trigeſima Ianuarij.

Poſtremus, qui ad manus meas peruenit, Auctor, qui mellis miraculum vulgari ſermone conſcripſerit, fuit Paulus Moriggia, cuius hic ego narrationem latinitate donatam ſubnectam.

Sauina diuino afflata numine, glorioſa ſuſtulit corpora, (Naboris ſcilicet, & Fœlicis), *& aptauit diligentiſſimè, clàm in doliolo, ſtatuitque ſecum Mediolanum, vt tutiora eſſent deuehere, ſed vbi ad Oppidum appulit, medio in itinere, inter Laudam & Mediolanum, cui tum Gnanum nomen erat, ab excubitoribus qui illhic adetant rogatur, quid in illo dolio haberet. Illa reſpondit, plenum melle eſſe quod Mediolanum deferebat. Hi vero curioſius perſcrutari pergunt. Quamobrem diuinæ plena confidentiæ, orationi vacans, Deum comprecata eſt vt verba quæ protulerat vera* Ex Italico

inue-

inuenirentur. At vbi ſatellitium exploraſſet, dolium comperit melle plenum, vt matrona Sauina dixerat. Ipſa vbi tàm inſigne miraculum conſpexiſſet, non paſſa eſt diuinas gratias occultas deliteſcere, hic detectæ rei veritatem pandit, ob id illi homines Chriſto dedere nomen, & illius mellis miraculo, Locus, cui antea Gnanum nomen erat, Melegnanum nuncupari cœpit, & exinde, ad hæc vſque tempora nomen illud retinuit.

Ne vero hæreat quis, cum apud eos, quos enumerauimus, alioſve auctores legat, TRISSINAM à nõnullis, ab aliquib⁹ vero TRESSINAM Sauinã dici, cauſam immutati grammatis, quàm diligentiſſimus Triſſinei ſtemmatis illuſtrator Paulus Benius deprehendit, aperiendam duxi. Cum enim * Τροιζήνιοι populi, qui in Cherſoneſo ſunt, Triſſineam Familiam ſint auſpicati, hi vero à Latinis ſcriptoribus Trœzenij dicti ſint, inde immutandæ litteræ factum initium, Cum multis, è Veneta

præ-

præſertim Regione ſcriptoribus hellenismus; cœteris vero latialis ſermonis prolatio, magis arriſerit.

Animaduertit Petrus inſuper Galeſinus, & Cæſar Card. Baronius in Notis ad Rom: Martirologium, cum de inclyta hac Matrona differit, à nonnullis ſcriptoribus SABINAM etiam appellatam.

Hæc ſanctiſſimæ Viraginis, quę multo ſanè labore, è ruderibus Antiquitatis monumenta collegimus, quicunque percurret, æqui, bonique conſulat, & verendum pijſſimæ fœminæ animi ſimulachrum, cum Temporis iniuria, corporis imago exciderit veneretur, & colat.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ex Breuiario Ambroſiano Eccleſiæ Mediol.

Die 30. Ianuarij.

S*Auina Matrona Laudenſis, in maxima perſecutionum tempeſtate, quam Maximianus Imperator excitauit, pietatis officia mirabiliter coluit. In Vrbe igitur Laude-Pompeia, Naboris, & Fœlicis, qui pro Chriſti Domini gloria fortiter pugnarunt martyrum corpora, noctu ſepeliuit; nec impiorum minis perculſa piè agere vnquam deſtitit, ſed in bonis operibus longius progreſſa, fortis matrona, beatorum illorum martyrum corpora, vehiculo cum piè, ſolerterque impoſuiſſet, Mediolanum ad Philippi Baſilicam tranſtulit: vbi ad eorum ſepulchrum orans obdormiuit in Domino.*

	ERRATA.	CORRIGE.
pag. 10 l. 4.	Flautheus	Flaccitheus
pag. 25. l. 11	Dorici	Ionici
pag. 50. l. 1.	S Columb. Cęnobium.	S. Columbani Colles.
pag. 69. l. 4	Collega	Collegæ
pag. 92.	Cap. VIII.	Cap. IX.
pag. 106. l. 16.	An. milleſimo trecenteſimo.	An milleſimo du centeſimo.
pag. 124. l. 20.	Laudis Pompeiæ.	Laudæ.

pag. 10. l. 21. Poſt illa verba
Extincto occidentali imperio
Deſunt
Lucullana deportatione Auguſtuli.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google